






BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
18 I
55





NARRATIO DE H. EOBANO HESSO, COMPREHENdens mentionem de compluribus illius ætatis doctis & eruditis uiris, composita à Ioachimo Camerario Pabebergensi.




EPISTOLÆ EOBANI HESSI AD CAMERARIUM

& alios quosdam, familiari in genere, cum lepidæ ac facetæ, tum eruditæ & literatæ: Cum quibusdam Camerarij & aliorum scriptis.



QVORVM NIHIL ANTE *hunc diem ad hunc modum editum fuit.*

Exprimebantur hæc Norimbergæ à Ioanne Montano & Vlrico Neubero, Anno salutiferi Christi Iesu partus M. D. LIII.






SIGNVM EOBANICVM CVM ELOGIO IPSIVS.



Nubila ſcandentem Lauri de ſtipite cygnum,
Heſſo ſtemma ſuum libera Muſa dedit.

DE H. EOBANO HESSO NARRATIO IOACHIMI CAMERARIJ *Pabebergensis, ad CL. V. Adamum Cratonem Fuldensem, amicum summum.*



ECORDANTI MIHI, *Adame, studia iuuentutis nostræ, quæ nos singulari usu coniunctos tenuerunt, multæ suaues cogitationes excitantur animo meo, in quibus tristißimis rebus & durißimis his temporibus, interdum soleo acquiescere. Vt autem qui in febre frigidam biberunt, se nonnihil in præsentia subleuari sentiunt, mox uero grauius affliguntur: ita mihi quoq; sæpenumero usu uenit, ut iucunditatem illam maiores molestiæ excipiant. Non modo cum hanc ætatem & superiorem nostram confero, & egre fero tantam contentionem tam celeriter repressam, & ardorem istum extinctum esse: Sed cum, ut necesse est, de ijs, quæ ante oculos, interq; manus sunt, ut Poëta ait, coniecturam facio, quæ deinceps consecutura esse uideantur. Atq; sunt priora illa quidem eiusmodi, ut morsus habeant sane acerbos, hoc uero posterius non solum maximos dolores, sed ingentem etiam metum commouet, de quo quidem neq; pos-*



ſum in acerrima ægritudine, neq; in tanta hominum improbitate plura ſcribere debeo.

De *altero ſi tecum diſputem, & offenſione ad plæroſq; hoc cariturum eſſe ſpero, & ita aberrauerit aliquantulum mens à curis & anxietatibus, quibus cum conflictatur quoties uel in præſentis miſeriæ quaſi tempeſtatem intuetur, uel futuræ calamitatis naufragia proſpicit.* Quæ *quidem ſola uia eſt declinandi impetum perturbationis:* Cui *ſi ueluti directa fronte, & ut* Græci *aiunt,* ἀντιπρόσωπος *occurrere uelis, celeriter perculſus & euerſus proſternaris.* Iam *de ſtudijs noſtris diſſerere, ut nobis dulce, ita ad alios neutiquam inuidioſum eſſe poteſt.* Quis *enim illa uel colit, uel admiratur, uel iam omnino reſpicit atq; curat?* Nugæ *hæ eſſe ducuntur, et in uita communi* ἀθύρματα *tanquam luſuum puerilium.* Habent *enim iam homines quod expetiuerunt, ſummam ſtatuendi & agendi licentiam.* Nihil *tam abſurdum eſt, quin animus concipere, & lingua proferre:* Nihil *tam audax, quin aggredi cupiditas & manus conari auſint.* Non *ratio, non modus, non lex, non mos, non officium ualet, non iudicium, non exiſtimatio ciuium, non poſteritatis uerecundia, ut ait* Cicero. Aperuerunt *autem ſtudia noſtra iter eruditæ & liberalis uitæ, errorum quaſi uepribus excíſis, & bonis artibus atq; literis conſuetudine humana perculta.* In *hos, tanquam amœniſſimos hortos, temeritas & petulantia uaſtatrix ſubito irruit.* Et *ſunt* Muſarum

ſecun-

ſecundum Poëtam, floribus auſtri ſane procelloſi, & liquidis immißi fontibus apri. Sed neſcio quo pacto etiam dum fugit triſtia animus, nihilominus ad horum conſpectum refertur. Sit igitur hic iſtorum finis. Ac aſpiciamus iam ad illa, in quibus & lætitiæ aliquid & quietis me reperire dixi, id quod & te facere mihi perſuadeo, ut libenter memineris tam aßiduitatis atq; diligentiæ diſcipulorum, quàm Magiſtrorum attentionis atq; ſedulitatis, quam nos ſumus experti, & cuius participes quoq; fuimus, uel potius, quo tempore ac loco, nos etiam aliquam laudemq́; decusq́; geßimus. Sunt enim anni fermè XXXIIII. cum ego me Erphordiam contuli, ibiq́; te florentem ætate & ingenio & fama eruditionis atq; doctrinæ reperi, quaſiq́; natura alter alteri conciliaretur, ita factum tum eſt, ut celeriter inter ignotos prius incredibilis animorum beneuolentia exiſteret, nosq́; in ſtudiorum ſimilitudine amicitia coniungeremur, & ex uſu mutuæ familiaritatis uterq; aliquid fructus perciperet. Colebamus eas literas, ſine quibus perſuaſum nobis erat nullam doctrinam ſapientiæ profeßionem ſuam tueri poſſe, & autores Græcæ & Latinæ linguæ legere ſtudebamus. In qua parte ego quanquam admodum adoleſcens, tamen ferebar in oculis, quia audiueram Ricardum Crocum Britannum, qui primus putabatur ita docuiſſe Græcam linguam in Germania, ut plane perdiſci illam poſſe, & quid momenti ad omnẽ doctrinæ eruditionẽ atq; cultũ,

huius cognitio allatura esse uideretur, nostri homines sese intelligere arbitrarentur. Nos quidem certe ita *statuebamus, hanc esse uiam uirtutis atq; sapientiæ, & iter directum cum pietatis & religionis, tum humanitatis & laudis in hac uita & in terris.* Vere ne an *falso non exquiram in præsentia, nos scilicet ita censebamus.* Neq; *spem quæ concipiebatur de his rationibus quantius tum uanire passi fuissemus.* Fuerit hoc *erratum, mihi tamen profecto etiam opinio illa iucunda est, neq; possum uel hodierno die animum inducere, ut aliter sentiam.* τὸ δὲ δοκοῦν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεται, *aiunt.* Et *fuerit profecto hic error, si error sit, neq; turpior neq; nocentior, quàm est multiplex & uarius error inter homines, ut non debeat nos huius nimium pudere, si quis illum exprobet, & impedimento fuisse perhibeat, quo minus opes, dignitatem, honores consequeremur.*

Cum autem illius sanctissimæ & optimæ uitæ consuetudinem animo meo repeto, inprimis ante oculos est EOBANVS *Hessus, ad quem tu quidem me primum adduxisti. Sed ille tam cupide me complexus fuit, ut neq; dulcius, neq; constantius fieri quicquam potuerit.* Nam *& fauebat ardori, quo flagrare cernebat animũ meum studiorũ bonorũ, & diligebat penè puerilem simplicitatem audaciæ, in ijs profitendis, quæ tenere me crederem.* Et *probabat interdum iudicium mediocris considerationis, de ijs quæ forte differebantur,*

etiam

etiam firmitatem animi in simultatibus negligendis, & contemnendis obtrectationibus. Meminisse enim te arbitror, quorum inuidia me tum impetiuerit, cum tu me acerrime defenderes, & innocentiam meam tuereris. Erant autem æmulationes illæ neq; capitales, neq; omnino culpandæ. Alius alio uideri doctior uolebat. Dum igitur se præferri studet cæteris, fieri non poterat, quin minus commode interdum de ijs loqueretur, quorum existimatione suam famã premi suspicabatur. ἀγαθὴ δ' ἔρισ ἥδε βροτοῖσι, secundum Hesiodum. Absit modo acerbitas contumeliæ, & odij crudelitas. Sed hæc obliuioni, quasi uentis dißipanda præbeantur.

Cum autem annis fermè quinq; postea quàm ego Erphordiam reliqui, prospera fortuna me denuo cum Eobano coniunxisset, & augescentibus annis in mea uita aliquid mutationis accidisset, & mihi nonnihil tristitiæ oblatũ fuisset, ita sum hoc amico usus, ut & consilijs & consolatione ab eo sæpenumero adiuuarer. Sed præcipua erat suauitas & oblectatio in studiorum communium cultura, cum uterq; alteri aliquid à se in hoc opere semper conferret. Nam ego nunquam dißimulaui quantopere mihi profuerit Eobani familiaritas, & ipse quo erat candore, non dubitabat interdum prædicare quid commoditatis perciperet de mea.

Cum autem uidissem ante annos aliquot epistolas huius scriptas ad diuersos, editasq; magis studiose quàm prudenter, uel ne studiose quidem satis, nam exem

pla incorrecta & mendosa diuulgata sunt, & te non fugit, qualis Eobanus scriptor fuerit, qui non modo quicquid in buccam uenisset, ut dicitur, efferre, & τὸ ἐπιὸν cartis committere, sed sæpe admodum in festinatione negligenter exarare literas soleret. Huius igitur epistolarum librum cum uidissem, ut non probabam talem editionem: ita factum illa occasione fuit, ut respicerem ad cartas meas, inter quas scirem Eobani epistolas ad me iacere. Inueniq; tunc plures quàm omnino putaram, & inter relegendum mirifice fui recordatione illorum temporum & consuetudinis nostræ delectatus. Fuit enim tum mos profecto optimus & humanissimus, & huic quo nunc uiuitur, dissimillimus: candor eximius in tribuendo cuiq; quod illi deberetur: summa reuerentia eorum, qui uirtute & doctrina præstare crederentur: Mira facilitas ad reconciliationem gratiæ, si quid forte simultatum incidisset: In consuetudinis & familiaritatis usu nihil fucatum aut exulceratum: Discendi quod ignoraretur, inflammati studio animi, & nullus in confitendo pudor, nullum persequendi occasiones tœdium, neq; fastidium audiendi: Inprimis autem parata bene meritis grati animi memoria.

Sed ut ad rem redeam, cœperam iam consilium & has epistolas adhuc delitescentes apud me edendi, de quo statim ad te perscripsi, Verum ea tempora inciderunt, quæ non hoc modo turbarent, sed alias multas

præ-

præclaras res peſſundarent. Veni tum forte ad noſtrum Sturciadem Erphordiam, qui & ipſe de editione epiſtolarum Eobani *nonnihil conquerebatur, & cum expreſſarum tum alia autographa ſcripta* Eobani *mihi dedit. Sumſi tum & à* Groningo *noſtro complura. Quæ quominus hactenus, ut uolueram, in lucem prodierint, multa impedimenta fuerunt.*

Etſi autem rurſum is horror tempeſtatis ſe oſtendit, ut quid omnino de ſtudijs bonarum artium futurum ſit ualde metuendum eſſe uideatur: Tamen *cum nuper incidiſſem & in hanc congeriem epiſtolarum* Eobani, *& ea quæ tu de hoc compoſita ad me miſeras, cupido me cepit, & conſcribendi de illo quæ comperiſſem, & mihi nota eſſent, & emittendi in publicum epiſtolas* EOB*anicas nondum editas, cum ad me, tum alios ab illo uere familiariter ſcriptas. Sperabamq́; hoc opus, ſi abſolueretur, & uoluptatem legentibus allaturum, & nõ expers etiam utilitatis futurum eſſe. Multa enim inerunt & liberalibus iocis quaſi condita, & utilibus diſputationibus de bonis literis aucta, & grauibus etiam ſententijs referta. Tibi certe ſcio, ut mihi deſcriptio & elaboratio fuit iucundiſſima: ita lectionem gratam, & hanc operam ſtudij mei acceptam fore.*

Scripturus autem de Eobano *noſtro, ordiar de tuis indicationibus, ut narratio ordine quodã procedat. Fuit igitur, ut ſignificatur, cum tuis tum aliorum, quorum opera in his perquirendis uſus fuiſti literis,*

Eobani patria ea pars Cattorum, quæ spectat ueteres Angriuarios ad Visurgin, in finibus ditionis Heßiacæ. Parentibus natus est nõ illis quidẽ opulentis, sed honestis, & integritatis ac pudoris laude inter omnes conspicuis. Mater ciuis fuit oppidi Gemundini, Pater in montibus quibus territorium Heßiacum concluditur, operam suam dedit Conuentui Heinensi. Qui religione iampridem neglecta, & disciplina corrupta, dißipatus nunc est, & mutata res, ut illo loco pauperes aliquot alantur. Quo loco uim quandam admirabilem naturæ considerandam esse puto, quæ in temporum, locorum, hominum, euentuum, maxima dißimilitudine, similitudinem tamen semper aliquam exprimit, ut in uarietate maxima, congruentia summa animaduertatur à diligentibus & attentis. Nam cum Eobanus eam nostra ætate & his rebus præstantiam attigerit, quam olim rebus alijs Homerus, quasi diuinam & suspiciendam omnibus absoluisset, fuerunt inter hos similia permulta.

Quemadmodum enim Herodotus tradit, in ripa fluminis Meletis partu editum fuisse Homerum: Ita sub arbore in gramine mater recubans, Eobanum enisa fuit. Et ut patria Homeri ignoratur: Sic non potuit certo cognosci, quo loco in lucem editus esset Eobanus. In pago quidem uno ex eorum numero, qui attributi essent conuentui Heinensi natum illum esse satis constat, sed non eundem omnes nominant. Non abhor-

abhorret à uero, in pago natum esse, cui est nomē Teutonicum deductum ab hirco. Nam ille aliquando iocans Tragocomensem se appellabat. Fuere & fortunæ origini pares, ac toto uitæ tempore non admodum ille in parte aucta, aut luculenta re uixit. Peregrinator etiam atq; oculis hebetibus, hoc uno Homero fœlicior, quòd uisum penitus non amisit.

Sed quamuis parentes haberet pauperculos, cura tamen illis fuit, ut Eobanus liberaliter educaretur. Nam fratrem huius natu minorem officinæ statim delegarunt. Accepimus autem natum eum fuisse, & ita credi ipse postulabat, Anno Iesu Christi 1488. Non. Ianuarij, hora post illius diei meridiem 17. id est, mane hora quinta diei Dominici, quo adscriberentur in fastis Epiphania. Ad quam si describatur thema genethliacum, animaduertetur non pauca congruere cum themate Homerico, exposito à Firmico.

Puer didicit à quodam Ditmaro, qui in illo conuentu primas tum esset Ecclesiasticus, prima elementa litterarum. Verisimile est, quòd celeriter omnia perciperet, & fideliter retineret, Placuisse ut litterarum studia sequeretur. Missus igitur fuit ad propinquos Gemundam, inter quos præcipuo loco & nomine unus Hartomanus Arnoldus paulo natu grandior, qui postea in sua ciuitate Magistratus præcipuos gessit, unà cum illo audiuit Ludimagistrum cognatum suum, uirū grauem & satis doctum Iohannem Mebesium, qui hoc stude-

studeret, ut pueri inprimis Grammaticas praeceptiones cognoscerent & intelligerent.

Hi duo postea Francopergam profecti fuerunt, ad spem doctrinae uberioris. Quòd ibi ludum aperiret eruditione literarũ tum celebris Iacobus Horlaeus, cum ageret Eobanus annum decimum quartum. Hic uero magna beneuolentia complexus Eobanum, quòd eluceret in eo indoles eximia, unà cũ paucis quibusdam alijs, impendit illi extraordinarias operas doctrinae, & tradidit praecepta Versuum faciendorum. Cumq; aliquantulum temporis de hac institutione consumpsisset, iussit eos experiri in componendis uersibus uires suas. Et proposuit sententiam illis Euangelicae narrationis, ita ut tum ferè commemorabatur hanc: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. In qua statim notasse ferunt Eobanum, quòd una pars numerose caderet, ita ut Pentameter Elegiacus concluderetur. Sic autem accepimus expreßisse uersibus propositam sententiam, ut iam tum statim Magister admiraretur uim prompti ingenij, & se profectus spem singularem de eo diceret concipere, ac arbitrari diuinitus sibi in mentem uenisse, ut illam sententiam tum proponeret, ominisq; boni id loco accipere: Saepeq; hortari Eobanum, pergeret quo Deus & natura ipsius eum ducerent: Non enim sibi dubium esse, quin uir magnus esset futurus.

Audiui ipse ex Eobano, aliquando sibi dormien-

a, & iacenti in quiete profunda, oblatam speciem quasi nauigij ad cursum omnibus rebus instructi, quod staret religatum ad littus. Cumq; accederet, & intueretur illud solicite, incessisse se cupiditatem nauigandi, & uisum fuisse sibi, quòd funem solueret, & conscensa naue proueheretur: ita precatus repente uersu cõposito:

Da tandem fortuna uiam, iuuat ire per altum.

Fuisse Horleum uirum optimum traditur, qui mirificam uoluptatem caperet de discipulorum profectu. Isq; sæpe postea, cum Eobani iam nomen celebrari inciperet, huius exemplo alijs ad discendum calcar cohortatione sua admouere solitus fuit. Inprimis autem placuerat illi, & spem singularis excellentiæ confirmarat in Eobano aßiduum studium scribendi, & cura ac solicitudo, ut scripta sua emendarentur. Cum enim esset ingenio acri & uehemente, quoties forte uersus fecisset, si minus potestas daretur conueniendi Magistrũ, constat eum tum quæsiuisse alios, à quibus errata corrigi posse speraret, neq; repelli se passum fuisse ullis occupationibus horum, quin operam sibi dari peteret. Sæpe in cœtu exhibuit frequente uersus suos, aut attulit ad conuiuium, & precibus contendit, ut illi statim recitarentur, & si quid uitij in his esset, ut demonstraretur: Negare rem moram ferre posse, Sibi alios uersus mox esse faciendos. Hac puerili & liberali importunitate multi tum delectati, & istum ardorem studij exosculati in puero Eobano fuerunt, & dicere

inter se, fieri non posse quin illa incitatio & tam feruens studium, admirabile nomen pariturum illi puero esset, si uita ei concederetur: Vereri enim se, ne præcox ingenium ad fructum proferendum non perueniret. Quem metum, ut Deus inanem esse uoluit: ita opinionem ominis illos neutiquam fefellisse exitus probauit.

Cum in illo ludo mansisset Eobanus triennium, annos deinde natus sedecim, Erphordiam, quasi ad uberiorem mercatum bonarum artium profectus fuit: Operam studij sui illi nauante Magistro artium bonarum, patria Francopergensi, qui nominaretur Ludouicus cognomento Christianus, uir pius & innocens ac doctus. Habuisse etiam aliunde adiumenta putatur ad studiorum cultum, & ut in hoc ocio perdurare posset, popularium quorundam, qui facultatum copia abundarent. Erphordiæ admodum tum iuuenis carmen composuit de infœlicitate amantium, & alterum Bucolicũ.

Cum Erphordiæ eos honores esset consecutus, qui in scholasticis communitatibus tribui solent ijs, qui doctrina alijs præstare iudicantur, uisum illi fuit peregrinationi operam dare, non tam, ut ipse aiebat, consideratione, quàm impetu quodam animi. Erat illis temporibus in Borußia ad Vistulam Præsul Risebergensis, gente nobili Nariscorum Iobus, uir amantißimus omnium studiosorum bonarum literarum & artium. Huic conciliatus Eobanus, qui sibi cognomentum patriæ sumserat, & ante Eobani nomen Græcum

ponere

ponere uoluerat, quo sol significaretur, ut esset appellatio tota: Helius Eobanus Hessus *(reddidit autem causam, cur* Helij *nomen asciuisset, carmine quod edidit* Erphordiæ*)* Præsuli *igitur* Iobo *conciliatus* Eobanus, *fuit mirum in modum gratus. Admirabatur in adolescente uir prudens uim ingenij, & simplicitatem amabat, & perpetuam sibi illius familiaritatem pollicebatur.* Ideoq; *beneficijs uarijs obnoxiū sibi reddere eum studebat.* Scripsit *tū* Eobanus *& alia quædam, & ad imitationem* Ouidianam Heroidas, *quas postea retexuit, & nimis futiles inde fabulas exemit, ac multo meliora & grauiora fecit omnia.* Est *autem & primū opus memorabile, & eo etiam nomine spectandum, quòd initia complectitur facultatis* Poëticæ, *& specimen* Eobanici *ingenij:* Præsertim *cum non incubuerit ille in compositionem,* Sed, *ut mihi sæpe retulit, maximam partem animo suo composuerit, & absoluerit eques, dum comitaretur forte præsulem, aut ad uenationem proueheretur, aut mandata itinera faceret.*

Erat *consilium* Præsulis, *ut* Eobani *opera ad* Scripturas *uteretur, & negotia ea quæ requirunt ciuilem prudentiam, & ad obeundas legationes, si quando aliquis ad uicinos* Principes *mittendus esset.* Curauit *igitur* Lipsiæ *comparari libros, quibus descriptum ius comprahenditur studio primum* Imperatorum, *deinde imitatione* Pontificum Romanorum, *ideoq; cœpit* Ius *ciuile &* Pontificium *appellari.* Sumtibus *etiam*

liberalis

liberaliter instructum Eobanum ad hoc studium Lipsiam misit. Quo uenit cum ego in prima pueritia ibidem discipulus essem optimi & integerrimi uiri Georgij Helti Vorhemij, cum uestitu aulico, ea erat talaris uestis, ut tum consuetudo ferebat, Punicea. Ipsum eo tempore fuisse Eobanũ oportet natũ annos uiginti quinq;, Nam incidit hoc in annum Christi Iesu M. D. XIII. Erat iuuenis ille pulcherrimus, corpore firmo & procero, & membris elegantibus, facie plane uirili & ore seuero, barbaq; conspicua ac profunda genæ totæ uestiebantur.

Neq; ego facile existimo fuisse quenquam à primo ortu, cuius habitus atq; constitutio ac species cum Eobanico corpore conferri, nedum huic ut illa præferri possent. Omnia etiam quibus exercendo corpus reddi solet cum agilius tum robustius, studio sibi habuerat, ut luctaretur, ut illos gestus dimicationum & chironomias disceret, ut saltaret, ut nataret. Neq; in ullo genere facile alteri æqualium cædebat.

Est ad Risepurgum piscina spaciosa, neq; ulla parte sui non distat ripa una huius ab altera ter M. paß., quam etiam propter hoc quod narraturus sum, ipse cùm in Borußiam aliquando uenissem, & illo in oppido pernoctassem, diligenter fui contemplatus. Solebat in ea interdum natare Eobanus, & natando etiam certare cum æqualibus.

Quodam die cum uestes reposuisset ad ripam

quæ

quæ oppidum ſpectaret, & demiſiſſet ſe in piſcinam, quòd ad alteram illius ripam poſſe ſe natando procedere gloriatus inter ſuos fuiſſet, illò quidem perrexit, ſed tum demum conſiderauit animo ſuo, quàm longo ambitu ſibi nudo ad ueſtes redeundum, & quòd pagi etiam tranſeundi aliquot eſſent: Itaq; pudore nuditatis, demerſit ſe denuo in aquas, & continuata natatione confecit ad ſexies M. paſſus, potius quàm ſe ullius hominis oculis in uia nudum offerret. Erat autem in hoc ingens uerecundia, quæ etiam ſeneſcentem proſecuta, ita ingenium hominis temperabat, ut moderatio illa ad augendam rem ei, ita ut fit, noceret. Cum autem non poſſet non ſentire quantum & ingenij & corporis uiribus ualeret, & eſſet in eo animus excelſus, quo fieret ne alijs inferior haberi facile pateretur: non ut ſe ullis præponeret, aut ſua bona oſtentaret, id quod ab eius ſumma humanitate longiſsime abfuit: Sed ne, non præſtando quod poſſet, ſibi ipſi contemtus autor exiſteret: Vnum uereor ne nimis iuueniliter & incogitanter tum non deliberauerit, Sed auſus fuerit facere, quo & ingenium debilitaretur diuinum, & excellentis corporis quaſi ſoliditas labeficeret. Putauit enim ſe etiam inter poculorum certamina, quæ maxime tum in aulis certabantur, & à nobilitate frequentabantur, nõ uinci ab altero oportere. Aduehuntur in illa loca etiam uina pleniſsima. Sed potus coquitur cum alibi, tum maxime Gedani, is qui cerebro infeſtior ſit fumis ſuis,

quàm uini cuiuscunq; inurgitatio. Ac est ille quidem hoc quoq; consecutus, ut de palma in isto genere cum Eobano contendere uellet nemo. Sed breui tempore repletione nimia iuuenile corpus grauiter afflixit, & uires nonnihil eneruauit.

Narrabo hoc loco, & si mihi res non placet, & sæpe indignatus fui animo meo, hoc etiam malum corripuisse Eobanum, & communem cladem nostrorum hominum deploraui, Cum illi dicerem, ita eum seipsum oppugnasse, ut castella & arces solerent tormentis: Sed quamuis iucunda mihi mentio non sit, tamen quia scitum est, narrabo quid inter eum & gloriosum alterum potorem acciderit. Aderat forte Eobanus in conuiuio. Eodem uenit ille quoq;. Et iussit intro ferri uas grande ligneum, quo apportari de puteis aqua solet, (nos situlam aut urnam, possumus, ut opinor, nominare) cuius generis minimum capit ad congios duos. Id posuit in medio repletum Gedanensi ceruisia. Ac præfatus quædam, quæ comperisse se diceret de strenua potatione Eobani, petijt ut ebiberet illud uas, sibiq; propinaret. Hoc si fecisset, præmium se iam ei tribuere annulum cum gemma preciosa, quem detractum de digito in uas illud abiecit. Eobanus nihil cunctatus, neq; multa locutus, non enim solebat, arripit uas, & non longo tempore assumto euacuat bibendo, & cum euerteret, sicut fert mos compotantium, decideretq; annulus in mensam, Applaudere illi omnes

nes; & inprimis prouocator, & annulum donare, ac incredibile se factum cognouisse dicere. Tum Eobanus toruiore uultu, ut consueuerat in commotione, cum intuitus, Quid tu, inquit, me mercede potare censes? Ac reiecto ad illum annulo, Tuum, inquit, annulum tibi habeto, & idem quod ego feci in uase isto euacuando, ut promisisti, facito. Tum ille ostentator inchoatam rem cum perficere non posset, ab omnibus derisus, & in conuiuio obrutus somno relictus fuit. Hoc igitur illi incommodi uel infelicitatis, potius ab axe Boreo inflictum fuit.

Etsi autem me non fugiebat hæc futilia uisum iri quibusdam, non etian nullis frugalioribus externorum hominum inepta, tamen ad narrandum hoc me de iuuene Eobano, cum Socratis senis exemplum, qui illum in Platonis cōuiuio Psyctera pœne congialem exhaurit propinatū ab Alcibiade, inuitauit: Tum promta simplicitas ad omnia, & in experiundo quiduis strenua Eobani cupiditas, hac etiam in parte declarare uisa fuit ingenij uim & corporis robur, quo utroq; cum non fuisse ad ullas res malas & turpes abusum, equidem & memorabile, & ipsi gloriosum esse iudico. Sed de his statuat quisq; quod uoluerit, ac nostra pergat oratio ad alia iucundiora.

Erat Gedanensis quidam æqualis fermè ætate Eobano, neq; corporis specie longe inferior, inferior tamen, pariter & ingenio minor, qui patria appella-

 latione

tione se Dantiscanum nominaret. Inter hos præclara contentio extitit ingenij & eruditionis, cum alter alterum operibus Musicis, initio sanè, ut accepimus, aliquantò instiius prouocaret. Sed Dantiscanus uir prudens celeriter sensit, quàm longè in hoc spacio ab Eobano relinqueretur, & ingenua confeßione primas Eobano conceßit, & ipse aliam laudis ac præstantiæ uiam ingressus fuit. Nam Sarmatico Regi se adiunxit. Cuius nomine legationibus ad alios Reges & Principes functus, ad dignitatem & opulentiam maximā peruenit. Habuitq; semper postea animo suo carum Eobanum, & nonnihil etiam fortunæ suæ commoditatis ad eum transtulit, cum interdum munusculis eum augeret. Eumq; uicißim Eobanus coluit & ornauit scriptis suis. Hic est Dantiscanus, qui constantißimè dilexit omnes bonarum artium studiosos, & ipse ad extremum usq; senium easdem coluit, factus benignitate Regis Poloniæ præsul Varmiensis. Erat autem homo festiuus & perfacetus. De quo aliquando mihi clarißimus uir uirtute & doctrina præstans, summus noster, Georgius Sabinus retulit, cum Regiomōte ad eum forte uenisset, fuisse se ab eo acceptū perquàm humaniter & benignè.

Postquàm abierant dies aliquot, & significasset, se Sabinus uelle discedere & reuerti domum, petijt Præsul, ut pranderet prius. Cœperat tum fama spargi, in pagis, qui redeunti transeundi erant, sæuire pestilentiam. Tum Præsul, Ecquod haberet contra morborum

conta-

rotagionẽ alexipharmacon, interrogauit. Sabinus habere se nescio quid respondit. Tum Præsul: Nihil, inquit nocuerit, à me aliquid etiam te accipere. Habeo enim præsens remedium ad permulta, quæ iter facienti accidere possunt. Cumq; dimitteret Sabinum, tradidit ei ita compositum quiddam, ut speciem uasculi haberet, in quo solent medicati pulueres asseruari. Ac prædicare cœpit usum mirabilem, & dicere, se esse sæpissime beneficium illius medicamenti expertum. Cum in manus accepisset Sabinus, statim sensit, quid medicamenti esset, pondere. Nam arte compegerat Præsul complures argenteos, qui de ualle ubi primum percussi fuerunt, Ioachimici uocantur, quos ne magnificare ipse donum suum uideretur, cum hac illi festiuitate obtulit. Sed exeundum nobis è Borussia est.

Lipsiæ igitur ego puer & primum uidi Eobanum, & de fama admiratus fui, atq; uenerans suspexi. Habebat tum Academia Lipsica doctos uiros multos. Vnum maleuolentia & odium quorundam paulo ante expulerat, qui in uicinia ad Albin postea consenuit, & obijt diem suum, uir omnibus bonis carus Ioannes Aesticampianus. Sed aderant tum eruditionis & humanitatis principes, Io. Sturnus, Vitus Berlerus & Georgius Aubanus Franci ambo. In meo autem magistro Georgio Helto, cum neq; esset ingenium infelicius, quàm in quouis alio, studium uero & industria haud scio an admirabilior quàm in ullo, Tamen &

moderatione animi & metu quorundam quibus eum obnoxium reddebat institutum uitæ genus, cohercebatur, ne familiariter cum ijs se coniungeret, qui politi & exculti litteris tantum uideri uolebant. Nam quod aliquando hi etiam liberius exultarent, ut fit, grandiores natu qui aliam rem & doctrinam illam esse animaduerterent, quàm de qua ad dignitatem & emolumenta ipsi peruenissent, offendi, & ex his nonnulli irasci atq; repugnare nouitati, quidam etiam inuenti, qui inuidia & odio extimularētur, & studijs essent iniquiores. Id quod omnibus mutationum temporibus antea accidit, & post hac euenturum est. Sed illi quos nominaui, minus curare ueluti censurā senū, ac sua studia colere, & doctrinam horum profiteri alacriter, & tum sese cū Eobano cupidissime coniungere. Ibi ille, quem natura etiam à Musis aberrare non pateretur, & horror tractationis à studio Iuris repelleret, oblitus uoluntatis ac mandatorum Præsulis sui, pecuniam confecit, & libros grandes istos Legum atq; Constitutionum diuendidit, & mox Erphordiam ad incunabula doctrinæ suæ se retulit. Paulo post uenit Lipsiam Euricius Cordus, patria & ipse Hessiacus, natus in uiculo, cui nomen Simus, Vnde & Simusij cognomentum aliquando assumebat: Attulitq; secū Bucolica sua, quæ Lipsiæ uolentibus audire explicuit. Eum primum uidi apud meum Magistrnm Georgium Heltum. Cumq; caperetur animus puerilis sermonibus eruditis illius, egregiam

giam rem esse suspicari cœpi Poëticam: Nam hos Poë-tas nominari audiebam. Hic Cordus *postea* Medicus *factus, cum à se tum liberis egregiam laudem doctri-næ posteris reliquit.* Quæ *esset immensa, si filio huius* Valerio, *id absoluere, quod uterq; instituerat, licuisset:* Qui Romæ *est cum omnium luctu mortuus, & reli-quit ingens desiderium nō modo peritiæ & doctrinæ, sed etiam uirtutis & humanitatis suæ.* Cum *patre au-tem mihi singularis usus necessitudinis intercessit* Er-*phordiæ.* Neq; *illo ego quenquam cognoui magis uel uehementius potius studiosum ueritatis, & qui peius odisset mendacia & uanitatem.* Erat *autem natura asperior, & paulo impatientior, quæq; dissimulare, nihil ferè quo offenderetur, ac ferre posset.* Quod *in causa fuit ut in aliquorum interdum indignationem in-curreret, à quibus potuisset subleuari, si fauorē ipsorū ambiret ac retineret.* Declaratur *id* Epigrammatis *quæ edidit, & hoc ipsum studium, quale dixi, tale hominis fuisse ingenium ostendit.* Cordum *nominarat ille se, nam editus fuerat extremo partu matris suæ.* Euricium *autem de* Henrico *fecerat* Cunradus Mutianus Ruffus, *qui in sodalitio* Ecclesiastico Gothæ *degebat.* Et *cum esset nobili familia ortus, neq; non offerrentur occasi-ones illi amplissimorum honorum, quòd & fratrem haberet in principis* Cattorū *aula primo loco, & ipse non modo animi ac corporis donis, sed* Italica *etiam disciplina cōmendaretur, splendori & opulentiæ fortu*

nam exilem, & infra mediocritatem positam Gothani collegij prætulit. Abest autem Gotha Erphordia Mil. paß. non multo amplius XII. Ad hunc primum à te Adame adductus, sæpe prædicaui, ut scis, me illum cognouisse optimum & sapientia ac uirtute præstantißimum uirum. Dignitas in hoc erat summa, grauitas autem ea, quæ ætatem & locum quem tenebat, deceret, commista illa quidem cum comitate incredibili. Mirifice autem lætabatur, cum audiret sedulo operam dare literis iuuentutem, & quibus rebus poterat in hoc spacio solebat incitare currentes: Superstitionibus inimicus, & hospitalis in re tenui admodum: Sed erga studiosos litterarum tantum. Nam aliorum ferè omnium consuetudinem fugiebat, adeo ut nimis fuisse appetens ocij studiorum & tranquillitatis hac in parte uideri alicui poßit, quàm beatam præscripto ædibus titulo, se arbitrari significabat, ubi & hoc uisebatur elogium: Bonis cuncta pateant. Sed turbarunt hanc tranquillitatem ea tempora, quorum difficultas ac miseria iam inchoata, ad eam perducta est tristiciam & calamitatem, quam experitur, & cum qua conflictatur ætas nostra. Qui autem finis futurus sit, nulla coniectura humana potest prospicere. Solebat Mutianus, tum quidem canus, nam annis grauis erat, cum ad eum primum ueni, adolescentibus studiosis litterarum, qui ad se uisendum acceßissent, proponere materiam quam scribendo elaborarent, & scripta postea emendare, & sæpe non

pe non admodum digna collaudare, ut hoc pacto ad diligentiam & curam studiorum excitarentur animi illorum. Erat autem festiuiss. ingenio, & liberalibus iocis admodum delectabatur. Epistolas ad amicos scribebat libenter. Genus autem erat sententiosum orationis & incisum: Quale est Politianicum, ad quod in Italia erat assuefactus. Rhythmis etiam ludebat interdū, cum quidem uersus faceret sat bonos. Diuulgati quidam fuerunt de improbitate simulantum religionem. Sed ipse nec; edidit suorum quicquam nec; reliquit (affirmante etiā hoc optimo et doctiss. uiro Io. Marcello Regiomontano, qui affuit cum moreretur, & in sua omnia illius potestate habuit) quod edi recte posset, & omnino se sua publicari nolle aiebat. Ac mihi percontanti aliquando causam, quamobrem tam pertinaciter premeret scripta sua, cum omnes arbitrarentur, & ego quoq; putarem eū scriptionibus operam dare, ita fieri respondit: Quia sua sibi nunquam satis placerent, ideoq; malle se frui aliorum stultitia. Erat nimirum ei persuasum, non facere sapienter illos qui sua scripta facile emitterent in lucem. Præsertim cum illis temporibus non emitterentur, sed euolarent undiq; omnis generis libri. Mortuus est Mutianus Gothæ rebus turbulentis in Germania, in dolore, ut apparebat, amissæ dignitatis & diminutæ rei familiaris, Anno Christi Iesu M. D. XXVI. tertio Calen. Aprilis Vir magnus, & probitate, integritate, uirtute, sapientia, humanitate ex

cellens, Decus & ornamentum eorum quibus cum uixit, & patriæ, immò Germaniæ totius & seculi sui.

Sed ut ad Eobanum reuertar, rediijt ille Erphordiam, & tum etiam Mutiano, qui antea quoq; adolescentem illum fauore prosecutus fuisset, quemq; ipse in quodam carmine Eobanus formatorem studiorum suorum nominat, & de quo fecerat uersum, qui in ore erat tum plurimis:

Hesse puer sacri gloria fontis eris.

Huic igitur Erphordiam ille reuersus, non modo carus, sed admirationi quoq; fuit. Sæpe igitur ad eũ scribebat, sæpe ab eo litteras accipiebat, sæpe excurrebat Gotham Eobanus, ut cum Mutiano uersaretur. Audiui tamen de Mutiano, offensum se aliquando fuisse Eobani moribus in potu, tum enim erat interdum in hilaritate ferocior: Non ut læderet quenquam, sed ut esset paulo sæpe incogitantior, & minus circumspectus, atq; animo remißiore. Neq; quisquam tamen unquam comperit dedecus eum etiam in ista lætitia admisisse, uel dicto uel facto. Verum senescentis illius grauitas iuuenilem huius exultationem interdum non moleste quidem tulit, sed improbauit tamen. Præsertim cum in flore Eobanus ætatis & uita liberiore etiam amare cœpisset. Amauit autem caste uirginem Erphordiensem Catharinam, quam postea uxorem duxit, & cum qua multis annis maritus uixit, & ex qua utriusq; sexus numerosam sobolem suscepit. Ea habebat patrem honestum

nestum in ciuitate sua hominem (illarum ædium domi-num, quas postea Georgius Sturciades emit, & Eoba-nus suis scriptis exornauit ac celebrauit) qui moribus aliquanto erat durior, & senecta ætate amarior. Acci-dit ut de hoc apud Mutianũ quereretur Eobanus: Tum ille hoc modo respondit :

Si tibi nata placet, fer patris imperium.

Postea & socerum ille æquo animo tulit, & cum con-iuge amanter uixit. Et docuit bonas literas Erphordiæ admodum tenui stipendio. Cum neq; tum rebus om-nibus, quæ ad uictum & cultum sunt necessariæ, uili-bus opus esset multo, neq; ipse partem uel minimam curæ impenderet faciendæ rei. Non ita multo post, ego annos natus octodecim, qui Iesu Christi annus fuit M.D.XVIII. Erphordiam & ipse me contuli, cum Lipsiæ uixissem annis quinq;, & duobus operam dedissem Ricardo Croco Britano, qui primus explicu-it doctrinam Græcarum litterarum in Germania, Fuiß-semq; etiam Mezeleri & Petri Moselani auditor. Hanc famam cum attulissem mecum Erphordiam, qui concursus ad me adolescentum optimorum compluri-um factus, quàq; beneuolentia me plæriq; omnes com-plexi sint, tu optime nosti Adame, omnium studiosißi-mus nominis mei. Sed in meum aduentum incidit disces-sus Eobani, qui tum adiuncto sibi comite uno Iuuene egregio bonarum artium Magistro Bertero, rebus atq; temporibus non admodum expeditis & secundis,

nec

iter ingressus fuit, ut Erasmum uideret, ac conueniret in Belgico tunc degentem. De scriptis enim illius, quæ tum crebra prodibant, mirifica cupiditas erga hunc & ingens fauor extiterat omnium. Applaudebatur quasi in scena studiorum actori scito & artificioso. Cumq; eum admirabantur & magnificiebant & collaudabant omnes, qui à Musis alienos esse se perhiberi nollent. Tum congratulabantur sibi eam felicitatem seculi, in quam delata esset uita ipsorum. Quòd si quis ab Erasmo epistolam ad se elicere fortè posset, illa uero ingens haberi gloria, & hic præclarus triumphus agi. Si autem accideret ueluti cumulus colloquij & congressus Erasmici, & ut ad eum alicui aditus pateret: Tum demum sibi in terris, is cui hoc contigerat, beatus uideri. Credebatur enim, ut erat, politioris doctrinæ ille esse princeps. Et in uno omnes contra aduersationem barbariæ satis opis præsidijq; esse statuebant. Itaq; interpellationes aduentantium nonnihil tædij & molestiæ illi obijciebant, præsertim scriptionibus diuersis occupato: Quæ tum à librarijs magnopere expectebantur, cum nulli libri libris Erasmicis magis essent uendibiles. Venit igitur ad Erasmum Eobanus apud Grudios tunc commorantem, & uersibus compositam elegantissimam epistolā ad ipsum ex diuersorio misit. Quæ cum Hodœporico quo describeretur iter illud & alijs quibusdam postea edita fuit. Erasmus quidem siue occupationibus alijs abstractus, seu propter hu-

utilitatem aduentus Eobanici, *qui cum uno comite pe-des accesßisset, siue in tanta* Salutantium *frequentia:* Non *illic quidem despexit* Eobanum, Sed *neq; tribuis-se ei tantum iudicio suo, neq; tam officiosus in ipsum fuisse existimabatur, quàm pro sua humanitate, & Eo-bani studio esse debuisset.* Etiam *postea laudauit* Eras-*mus* Eobanum *remisßius.* Non *quòd iniquior illius fa-mæ esset, sed quòd non arbitraretur, ut opinor, eum in-digere prædicatione sua, qui per se magnus esset, atq; illos potius extollendos ornandosq;, qui uel nullam, uel non magnam dignitatem parare possent ipsi sibi.* Eobanus *quidem &* Erasmo *diligenter & prolixe gratias egit, & nomen illius postea maximopere defen-dit, & cum à* Læo Erasmus *carperetur, autor fuit, ut pro illo* Erphordiani *eruditi contra* Læum *scriptis suis propugnarent.*

Ad Eobanum *de* Erasmico *itinere reuersum, tu me* Adame, *ut recordari potes, cum adduxisses, & pro me contra illum nescio quid libere tunc dicentem, de ijs quæ ad eum fuerant falso delata, multa aliquanto etiam quàm ipse, liberius locutus esses:* Tum *quidem aditum ad amicitiam ipsius, apud quem plurimum ualeres, & cui unice esses carus, mihi patefecisti,* Sed *cũ postea me-um ingenium certius perspexisset* Eobanus, *sua spon-te me asciuit in gregem suum, & pro captu & ætate mea plus honoris habuit mihi initio statim quàm debe-retur, & quo diuturnior consuetudo & familiaritatis*

usus

usus frequentior inter nos intercedebat, eò coniunctio arctior & maior necessitudo extitit, donec uera & deinceps inuiolatæ amicitiæ societas in consentione & concordia & similitudine perpetua studiorum cum maxima caritate consummata fuit atq; perfecta. Tam autem honorifici tunc fuere sermones Eobani de Erasmo, tam plena prædicatio, tanta amplificatio uirtutis illius, ut nullius non animus cupiditate uisendi Erasmū incenderetur. Quidam etiam ut commouerentur ad idem iter statim ingrediendum, & proficiscendum eo usq; ubi conuenire possent Erasmum, qui in Belgico non uno loco maneret. Inter hos præcipui fuere iuuenes egregij & multis rebus ornati, Iustus Ionas & Caspar Schalbus. Quorum alter annis aliquot post mortuus fuit, tum etiam ætate grandior. Ionas autem ingenij bonitate & aßiduitate studij, uirtute doctrinaque & humanitate excellens, ea quam sibi peperit, claritate nominis nunc etiam uiuus fruitur, ita ut indies ab illius pietate & sapientia existimationi amplißimæ aliquid accedat. De quo minus dicendum nobis est, ne assentationis aliquam suspicionem incurramus. Etiam Ioannes Draco Francus ad Erasmum tum profectus fuit. Qui & ipse multis & uarijs difficultatibus exercitatus, pietate & constantia celebre nomen consecutus est, cum litterarum & artium bonarum scientia iam tum cederet nemini. Vterq; horum summus amicus fuit Eobani. Sed Ionas facile inter omnes amicos Eobani

ni principem locum tenebat. Itaq; uiuebant cõiunctißime familiarißimeq; : Vnà crebro deambulabant, crebro domi confabulabantur, crebro etiam cœnitabant. Erat familiæ cuiusdam religiosæ (Georgiana nuncupabatur) curator Erphordiæ uir humanißimus & ualde prudens neq; illiteratus, cui Henrico Vrbano nomen : Is in Eobanico grege non ferebat postremas, ac sæpe illum cum suis accipiebat, ut res erant ac tempora, satis prolixe: Augustinianæ autem Iohannes Langus Theologus, non modo amicum habebat Eobanum, sed doctrinæ atq; ingenij etiam admiratorem. Huic cum more scolastico autoritas publice docendi solemniter conferretur, inuitatus ad eam festiuitatem Lipsia aduenit Petrus Mosellanus, & secum adduxit adolescentem tum suauißimis moribus, & litterarum eruditione eximia præditum, Petrum Suauenium: Apud hos perpetuo Eobanus fuit, quàm diu Erphordiæ manserunt, & cum de communibus studijs differendo, tum hilariter unà uiuendo, hoc est consecutus, ut ab his ad opinionem iam de ipsius excellenti ingenio & doctrina præstante conceptam, summæ humanitatis & singularis uirtutis persuasio adiungeretur. Quorum alter is uir fuit, ut nemini ferè est obscurum, qui sanctitate uitæ & cognitione & scientia bonarum artium & litterarum non facile ulli cederet, alter adolescens genere nobili, & quem natura sua ad magnificos conatus duceret, difficile & arduum uirtutis iter ingressus ad dignitatem

uitatem & opulentiam maximam peruenit. Cum Georgio Spalatino sanctißimo & politißimo uiro ueteris necessitudinis singularis, Eobano usus intercedebat, ut & cum alijs quibusdam, de quibus mihi ignotis quæ narrarem non habui. Habebat inter suos & popularem, quem ualde diligebat, Io. Ortum, integerrimum & spectatißimæ fidei hominem, & perquam eruditum & festiuum iuuenem Nosenum Silesium, cum quibus libenter & multum uersabatur. Christophorus Hacus, qui Melicis carminibus faciendis præstabat æqualibus omnibus, & Valentinus Capella iuuenis ingeniosißimus & eruditiß. unà cum Groningo & Ecclio asseclæ erant Eobanici, & ad se sæpenumero eum abducebant. Sed ex omnibus familiariß. complectebatur Martinum Hunum, ad quem medicinæ encomium in uersus de Erasmica oratione translatum, conscripsit, & affectione præcipua in prima adolescentia cognitum, constantiß. diligebat Petreium Aperbachum Erphordiensem, iuuenem ingenij cultu & eruditione doctrinæ excellentem, sed ægrũ pedibus & ualetudine aduersa perpetuo laborantem, qua impeditus eò quo natura studioq; impellebatur, progredi non potuit. Hunc cum per Iocum apud suos se regem faceret, Ducem ipse solebat appellare: Significans proximum locum à se qua si in gubernatione regni Musici illi deberi. Sed hoc unde natum sit, ut Regem se nominaret, & ipse ostendit carmine quodam, & ego breuiter exponam. Opti-

mus

mus & doctißimus uir Ioannes Capnio, in quadam ad ipsum Epistola, alludens ad Heßi nomen ἐσσῆνα eum appellauerat, & uersum adduxerat Callimachi de Ioue; quem hic negat Hessena Deorum sorte esse factum, sed uirtute & præstantia sua: Ex eo in sodalitijs cum Rex Hessus uocitaretur, hoc ioco postea utebatur, ut se Regem, & alios regni proceres faceret. Nullo enim non modo cruento, sed ne dentato quidem dicto ludere Eobanus solebat. Neq; reperietur inter omnia scripta ipsius, ullum quo lædatur fama, aut nomen proscindatur alterius. Nisi quòd nescio quid in Læum indignationis euomuit suæ, & quendam poëticantem Theologum aliquanto immansuetius retudit elegia quadam. Cum enim Martinus Lutherus accersitus in Vangionas (ubi se coram Imperatore Carolo V. qui primum ibi conuentum habere instituisset, sistere deberet) Erphordiam illo itinere forte transiret: Eobanus, & ei cum Croto Rubiano, qui tum administrationi Academicæ præerat, alijsq; compluribus honoratis uiris ac iuuenibus eruditis, obuiam processit, & biduo quo Erphordiæ Lutherus mansit, cum eo suauißime uersatus fuit. Cumq; placuisset illas res & actiones describi, interq; elaborationem incidisset in manus ipsius libellus editus ab Emsero, quo Lutherum ille maledictis incesseret, & præpositi essent uersus scripto perridiculi & mali, commotus fuit iam incitatus Musico impetu animus Eobani, ut eum qui poëta esse uellet, theologum tum pau-

lo grauius acciperet & tractaret inclementius. Hæc sunt ac præterea nihil quæ uel ioco uel serio ad alterum exagitandum scripsit aut dixit. Etiam à Philippo Melanchthone aliquando rogatus ut opt. uersuũ pulcerr. opera elaboraret & componeret rem deterrimam & turpissimam, & sibi hanc operam daret, Primum miratus & requirens quidnam rei res illa esset: Cum audijsset calumniæ descriptionem à Philippo expeti, se quidem facere non posse dixit, quin ei gratificaretur. Itaq; hunc laborem se esse suscepturum, quamuis argumentum esset alienum à moribus & ingenio suo, qui neq; ioco neq; serio, neq; monendi aut præcipiendi etiã caussa soleret insectationes aut repræhensiones usurpare. Usq; adeo à toto hoc genere inquirendi in aliquos, & uitia aliorum notandi ac exagitandi animus & uoluntas Eobani abhorrebat. Nam post multos annos cum unà Norimbergæ uiueremus, quid consilij agitare cœperit, cum ad se tum me defendendum, quòd uterq; indigne tractari uideretur à quo minime deberet, quoniam repressus conatus fuit: silentio tegam, cum nostra tum eorum ad quos illa res pertinet, causa. Sed ut redeam ad institutum: Eobanus in hoc sodalitio quod augebant Iustus Mœnius, cui neq; studio ueritatis & bonarum artium, neq; laude officij facile reperires quem posses anteponere: Et is cũ quo ego fraterno animo coniungebar, contubernalis meus Ioannes Francus, qui Portunus à nobis cognominabatur, &

Megobachus

Megobachus, neq; corpore neq; ingenio admodū dissimilis Eobano, Item Iacobus Mycillus, & Antonius cui Musæ Eobanus cognomentum fecit, uir postea in re Ecclesiastica illustris, & pueri adhuc Valentinus Paceus, cuius nunc etiam pietas, doctrina, eruditio celebris est, & D. Stibarus, quo neminem cognoui unquam flagrantiorem cupiditate discendi, cum innumerabilia ad perseuerandum illi impedimenta obijcerentur, quiq; longius dignitate progressus, uoluntatem tamen erga studia & studiosos bonarum artium constantiß. seruat, & alij complures, quibus incensis optimarum artium studijs referta erat Erphordiana Academia: In hoc igitur cœtu ille tum, uirtute, eruditione, facultate, scientia litterarum, dignitate excellens optimos autores linguæ Latinæ explicando operam nauabat discere uolentibus. Alliciebat autem fama nominis Eobanici inuitabatq; permultos, ut in Academiam Erphordianam, uel discendi caussa migrarent, uel ad uisendum saltem Eobanum excurrerent. Inter quos uenit eo anno, quo post congressum celebrem illum Lipsicum M. Luteri & Io. Eccij (qui autore Illustriß. Principe Georgio, ad cõtrouersandum publice Lipsiam uenerant) pestilentiæ contagio Lipsiæ infesta fuit) tum igitur ad nos uenit æqualis, & qui fuisset aliquando condiscipulus & contubernalis meus Sebaldus Munsterus Noricus, qui postea summos honores studiorum consecutus, Iuris publici doctrinæ præfuit Vuiteberge. Cumq; pietate

& integritate & probitate, fide, uirtuteq; excelleret, sæpe nominis Eobanici memoriam renouare honorifica mentione, & prædicare solebat, se unũ omnium illum cognouisse cum eruditione litterarum præstantiß. tum minime opinionis aliorum cupidum, tum uero ab omni fuco & simulatione remotißimum, & eum qui neminem ab usu humanitatis suæ excluderet. Sed Eobani, quo tempore quasi decurrens spacium suum ætas urgebat, & incitabatur studium, eo hæc studia, bonarum inquam litterarum & humanitatis malignius augebantur, horumq; Magistri atq; doctores negligentius subleuabantur, ab ijs quibus solis ea res tum in manibus erat. Ac Maternus quidem insignis illa tempestate Erphordiæ Theologus nonnihil contulit ad culturam harum. Sed ad quem Erphordiã me primum contuli, Georgius Pætus Vorbemius, uir is de cuius pietate & præstantia si commemorare uellem, quæ utriq; nostrum Adame nota sunt, iam nouum argumentum oriretur, & aliud scriptum texendum esset: Ille uero tum quicquid potuit clam palamúe, suis & aliorum uiribus facultatibus, gratia, authoritate facere & moliri, in eo neq; labori & studio pepercit, neq; inuidiam fugit, neque odium pertimuit, quo minus ea ageret, consuleret, reperiret, institueret, quibus profeßio optimarum litterarum atq; artium undiq; fulciretur, atq; sustentaretur. Qui si diutius uitam conseruare potuisset (dicam fortasse beneuolentia erga illum copiosius, sed uere me

dicturum esse existimo) & staret illa schola, & dignitatem ac nomen retineret, quæ quam ruinam fecerit non possum sine maximo dolore cogitare. Erat Crotus cuius paulo ante feci mentionẽ, ab antiquo notus Eobano, uir doctus & egregius: Sed cũ ingenio uario tum mutabili sententia. Is Magistratu functus regendi Academiam, Fuldam primum concessit, & in Borussiam postea discessit. Indeq; reuersus alienauit à se multorum studia, nescio qua de causa, uel nolo potius perscribere, ne quem uiuentem colui, ei mortuo obtrectare uidear. Degebat tũ (ut significauimus) in familia Augustiniana cognitione utriusq; linguæ instructus, & uaria ac multiplice doctrina præditus, Iohannes Langus, cui Eobanus fuit amicissimus. Hic postea in confusione omniũ solus sua diligentia, studio, industria & Ecclesiasticam rem & scholasticam sustinuit Erphordiæ, unà cum Georgio Sturciade, usq; ad annum fatalem, non modo ipsis, sed Germaniæ, quo uterq; sibi quidem neq; præmature neq; infeliciter, sed Reipub. intempestiue & luctuose decessit. Hic Georgius Sturciades singulari me amore cum primum Erphordiam ex Italia reuersus uenisset, complexus fuit, ut à natura ipsa nos quasi copulari appareret, meq; recepit in ædes suas, quas de soceri Eobani hæredibus emerat. Et multis postea beneficijs auxit, ornauitq; iudicio suo, cum tantum tribueret tam ijs quæ à me disputabantur, quàm commendationibus & testimonijs, ut me nõ uereretur

 sæpe

sæpe grauißimarum rerum autorem nominare, & nihil unquam de altero petenti negauerit, neq; si quid à me affirmaretur dubitando reddiderit incertum. Cum hoc designatus fui, & mox renunciatus decimus nonus secundo loco, ut opinor, Magister opt. artium, declarante iudicium de nobis eorum qui suffragia tulerant, Eobano Hesso: Qui tum luculentã habuit orationem, ut fert mos Academiarum. In renunciatione Sturciades non affuit, reuocatus in patriam ijs negotijs, quæ in aliud tempus differri, aut negligi non deberent, neq; possent. Petiuerat unà hunc honorem Antonius Niger laudatiß. iuuenis, cuius nunc splendor nominis & famæ claritas multis nationibus innotuit. Sed huic quorundam tum ieiuna maleuolentia cum maxima ipsius gloria obstitit, neq; quicquã causæ reperiebatur, quàm quòd bonarum artium & studiorum humanitatis auidior, & in his colendis fuisset liberior. Aliam igitur ingressus uiam, nos petitores anteuertit, & frementibus inuidis consecutus id fuit quod hi negarãt, aliquanto quidem, ut ita dicam, pomposius & splendidius, quàm ipsi conferre potuissent. Hic annus fuit Christi Iesu M·D. XXI. incipiens. Iunxit autẽ amicitiã cum Eobano Sturciades cũ Erphordiã uenisset, quã postea sanctißime & fidelißime conseruauit atq; coluit. Sed tum in Italiam redijt, et abduxit secum Euricium Cordum, qui adiutus à Sturciade autoritate publica ibidem Doctor Medicinæ renunciatus fuit. Eo anno & nos

Erphordiam reliquimus, iam dißidijs & tumultatione quatefactam, & pestilentiæ lue infectam. Reuersus autem ex Italia denuo Sturciades, quem se erga Eobanum gesserit, de Eobanicis scriptis potest cognosci. Is enim erat Eobanus, qui merita aliorum non modo tegendo non obliterare, sed prædicando etiam amplificare soleret. Quamuis autem hæ res fortasse exiles & paruæ esse uideantur, tamen de Eobani & Sturciadæ usu cum caritatis singularis, tum fidei, liberalitatis, memoriæ, exempla pulcerrima relicta esse statuo.

Et si autem multis de caussis abhorret animus ab indicatione fortunæ Eobanicæ, quæ ingenio, doctrina, uirtute, studio illius, reuocanti forte ad humanæ rem intelligentiæ rationes, indigna fuisse uideatur, tamen postulat fides mea, ut non prætereatur silentio, id quod cum uerum sit, tum apud prudentes diminuere existimationem uiri nequeat. Vt enim alia innumerabilia cum disputata sapienter, tum gesta præclare, ad paupertatis gloriam & ignominiam diuitiarum, taceam: Quid Solonis (cui in procliui esset principatu ciuitatis florentis opibus ac uiris potiri, si uellet) elegia canat uideamus, de nostra quidem, si placet, conuersione. Sic igitur ille:

Diuitijs auget multos fortuna scelestos,
Atq; bonos nulla commoditate leuat.
Nos tamen haud ducemus opes uirtute priores,
Hæc est certa, illos sors regit instabilis.

Cum igitur Eobani eo fermè tempore admodum in an

gustum cogerentur copiæ, ut ait Terentius, & publicus respectus penitus illi subtraheretur, priuati pauci (inter quos principem locum tenebat Sturciades) subleuarent hominem doctum probumq; & innocentem, & quod erat caput amicum, deliberantibus his de salute propemodum, cũ ipsius tum liberum, placuit quæstuosæ eum arti cuipiam operam dare, non iam famæ amplificandæ caussa, sed ne fame laborare mox cogeretur. Atq; autores illi fuere amici, ut medicinam disceret, quoniam priores conatus forenses parum successissent. Hoc, ille fretus potiss. ope & adiumentis à Sturciade, cupidissime amplexus fuit, & statim libros comparauit, & illas res studio maximo cœpit cognoscere. Et si autem ad factitandam artem progressus non fuit, hoc tamen studium, quàm diu uixit, coluit, & librorum de illa compositorum lectione admodum fuit delectatus. Tum igitur Eobanus cũ propemodũ à solo Sturciade retineretur Erphordiæ, ibi hæsit ut potuit, conflictatus cum multis aduersis, ad annũ usq; Iesu Christi 1526. Quo, autore & cõciliatore Philippo Melanchthone, qui & amabat & admirabatur & magnificiebat & uenerabatur Eobanum eximium in modũ, Norimbergam uenit, ab illa ciuitate accersitus perquam benigne. In qua unà cum illo ego & Micaelus Rotingus uiximus annis circiter septem, & eas litteras atq; artes quas didiceramus, docuimus, sine specie quidem dignitatis, sed cum aliquo certe nõ uulgaris commoditatis fructu. Id quod

ab alijs

ab alijs iam statui & dici par fuerit. Praesertim cum rationes nostrae quasi gestae prouinciae relatae sint, & extent. Praeerant tum Noricis ludis, omnes optimi & doctißimi uiri, sed duo duobus primis, Ioannes Chezimanus natus ad puerilem institutionem, qui illi ciuitati moriens ingens sui desiderium reliquit, & Sebaldus Heidena, qui cum haec scriberemus, suo adhuc loco laudabiliter curabat. Cum his uniuersis Eobano & nobis iucundus consuetudinis usus intercedebat. Hoc tempore quo Norimbergae Eobanus mansit, multa quae ante edita fuerant, recognouit & iterum edidit, multa noua fecit carmina, quae omnia sunt in medio. Attentius etiam tum quàm ante Graecos autores legere coepit. Cumq; ei inprimis Theocriti Bucolica arriderent, in illa conuertenda Latine incubuit. Quem conatum omnibus ego rebus adiuuare studebam. Nam initio multa obijciebantur illi, quibus impetus animi retunderentur: Ipse uero, si quid non celeriter procedebat, haud consueuerat urgere. Nihil faciebat omnino anxie aut solicite, sed tantum sequebatur ductum naturae & ingenij incitationem. Itaq; abiecta semel non ferè solebat resumere, neq; interrupta contexere. Neq; non animaduerti à lectore attento hoc facile potest, quòd continuo cursu aequabiliter defluant Eobanica omnia, neq; uspiam quasi ad considerationis solicitae obijces refringantur. Itaq; noster Milichius dicere solebat, Eobanum solum omnium quos nouisset, simul facere uersus &

 scribere

ſcribere. Cum alij prius commentando modo has, modo illas partes abſoluerent, & ita tandem ſcriberent aliquid, alij prius ſcriberent, et fingendo atq; corrigendo demum facerent aliquid qualumcunq; uerſuum. Quæ cum ita ſe habere experirer, nonnihil negotij fiebat mihi, etiam calliditatis aliquid uſurpandum erat, ne Eobanus uoluntatem perſeuerandi in traductione Theocriti deponeret, neūc ardor animi illius reſtingueretur; ita enim profecto opus illud luculentiß. interci diſſet, quod abſolutum & celebrat ingenium atq; facultatem Eobani, & ſtudioſis bonarum artium ad fructum eruditionis percipiendum propoſitum eſt. In quo perficiendo & cohortationem & operam meam aliquid præſtitiſſe lætor. Cum autem ita peractum ſit illud prope ſeptem annorum tempus, quod conſumſit Norimbergæ Eobanus, ut me ille ualde diligeret, & ego eum, ut par erat obſeruarem: Quaſi perpetuo unà nos futuros eſſe certum eſſet, ita in ſecuritate quadam poſtea ſenſi faſtidium tacite obrepſiſſe mihi eius boni, quod haberem in manibus. Ac nunc quoq; intelligo in ætatis iuuenilis leuitate, uel fuiſſe ſenſum præſentis felicitatis meum hebetiorem, uel hanc certe minoris me feciſſe quàm debuerim. Itaq; cum iam carendum eſſet conſuetudine Eobani, tum magis cognoui quantum iucunditatis mihi eſſet ereptum, quam copiam oblatæ commoditatis animaduerteram, dum frui illa concedebatur. Etſi autem non ea qua par fuit cupiditate uideor mia

or mihi persecutus esse occasiones familiaritatis & assidui usus amicitiæ Eobani, & multis in partibus fuisse negligentior: Tamen quamdiu in illa urbe simul uiximus, nihil ego sine illo in studijs conandum moliendum ue, aut edendum duxi, nihil ipse suscepit, de quo non mecum communicaret, magis quòd coniunctionis nostræ suauitate delectaretur, quàm quòd opera ei nostra esset opus. Et si ille quidem mihi tantum tribuebat, quantum ipsius epistolæ & alia scripta loquuntur. Inter quæ unus totus liber carminum mihi ab illo dicatus, & relatus in Siluas eius, ostendit, & quantum me (utinam meo merito) dilexerit, & quàm honorifice de me senserit, & quanti fecerit necessitudinem nostram. Habebat autem complures alios à quibus colebatur, & cum quibus hilariter uiuere, & apud quos libenter esse consueuerat. Ex quibus unus uicinus ipsius Vilhelmus Musicus assiduus comes erat Eobani, quotiescunq; hoc agebat, ut uel prodeambulando, uel ad sodalitium se conferendo curis animum relaxaret, & studiorum defatigationi repararet. Thomæ Venatorij consortium erat Eobano pergratum. Nam & simplex in homine libertas huic probabatur, & communitas studiorum placebat. Thomas enim & ingenio acri erat, & industria studij sui opera doctrinæ edebat luculenta. Ex cæteris qui doctrinæ sacræ præerant, & uenerabatur & diligebat maxime Vincilaum Lincum, cum propter pietatem & studium ueritatis, tum huma-

nitatem atq; candorē, quæ in illo uiro omnia erant eximia. Vincentius autem Obsopæus non diu postquàm nos uenissemus Norimbergam, discessit in uiciniam ubi munificentia Marchionis Georgij illustriss. Principis & ipse ocium in studio litterarum traducendū nactus fuit. Bilibaldo Pircamero ualetudo obstabat, quo minus crebro ad se accerseret & inuitaret Eobanum.

Hieronymus autem Bamgertnerus ex Senatoribus, ut in studijs optimarum disciplinarum & artium educatus, quam humanitatem (quæ erat summa) cum natura ei contulerat tum addiderat institutio, ea Eobanum complectebatur, omniū cura & respectu dignissimum, & cui subleuatione & auxilio esset interdum opus, quòd neq; peritus gubernationis domesticæ, neq; impendens ullam cogitationem rei familiari uel stabiliendæ uel augendæ, neq; sollicitus de patrimonio constituendo, sæpenumero plagam acciperet, uel ab ijs quibus fidem temere habuerat, uel interdum incircumspecte cum cautis & attentis contrahendo negotia, uel etiam debitis inconsiderate sese implicando. Sed amicorum studio fiebat, ut publica liberalitate, quoties hærebat, explicaretur. Quam ipsum sæpe deinde magnifice prædicasse, & nonnunquam in alijs desiderauisse comperimus. Dabat tum operam Noribergensi ciuitati Iohan. Mylius Iurisconsultus uir iusticia & prudentia nemini secundus, doctrina & uirtute, cultuq; religionis multis prior: Apud hunc sæpe conueniebamus,

mus, & de illius sententia institutum sodalitium fuit. In quo præcipui erant ipse Mylius, Michaelus Rotingus collega noster, Georgius Hopellus scriba primarius Senatus, & summi uiri Lazari Spengeleri collega, ego. In orbem autem conuertebatur acceptio, quæ erat potus ad uesperam cum bellarijs. Proponere autem materiam oportebat eum, cuius partes erant, ut acciperet alios, de qua tum quæreretur & disputaretur, de hac ubi uerborum satis fecisse uidebamur, tum reliquum tempus iocis & familiaribus collocutionibus, atq; interdum ludicris impendebatur, dum discederemus quisq; ad se. Prodeambulationes autem erant cũ alijs uicinis locis, tum ad unum in Silua Norica fonticulum, ad lapidem unum fermè urbe distantem, qui Eobani uersibus non minus perenni aqua manabit, quàm Athenis quondam sempiternã in arce olea uiriditatem tenere, aut palma in Delo non exarescere potuit.

Hac ferè ratione, eos annos quibus Norimbergæ durauit coniunctio nostra, absumsimus, præbente illa ciuitate sedem & hospitium Musis Eobanicis perbenigne & comiter: ut quamuis illius extent & pietatis præclara opera, & beneficentiæ in alios larga munera, Tamen uel hoc nomine, quæ uim & atrocitatem grassationis & populationis, & sæuitiam hostium experiri tam immanem in modum debuerit, indignissima esse uideatur. De quo impedior dolore & lacrimis, ne plura scribam. Etiam hoc magis agendum

esse

esse intelligo, ut quoniam aetas nostra in hunc fatalium mutationum articulum incidit, ad ea quae acciderint ferenda potius nos paremus, quàm ut tristiciam euentuum, reddere uelimus acerbiorem querelis nostris: Etsi profecto rabies saeculi huius, & mundi furor, qui indies ingrauescit, non potest non cõmouere indignationem uel moderatißimorum hominum. Sed haec quamuis moerentes, et animis conturbati omittamus, & ad Eobani mentionem reducamus narrationem.

Cum ferè septennium confecisset Norimbergae, sollicitatus crebris litteris & magnis policitationibus Eobanus ab Erphordiensibus amicis, illo reuerti decreuit, quo retrahebatur desiderio puerilis & iuuenilis uitae, & recordatione laudis quoq; ac decoris, quod aetate constantiore in illa Academia gesserat. Mores etiam ciuitatis illius admodum ei placebant. Sed haud scio an nihil impulerit illum magis ad reuersionẽ hanc, quàm Langi & Sturciadae semper expetita cõiunctio, etsi Groningo maxime & ipso delectabatur. Rediit igitur Erphordiam anno Iesu Christi M.D.XXXIII. quo postea aestas pestilens fuit, quam in uicino uico cũ familia nos unà cum secuta hieme transegimus. Venit autem illo cum spe eiusmodi, cui euentus non respondit: Et tamen factum est amicorum studio, & cura et diligentia, ut satis commode ibi degeret annis ferè quatuor. Et ut ad illam scholam collapsam, non modo instaurandi uiam monstraret, sed rationem etiam inchoa-

ret, quam tamen sequi uel noluerunt, uel non potuerunt ij, penes quos administratio esset scholæ illius. Docuit illic publice priuatimq; cum utilitate aliorum, & sua laude multa. Multa etiam scripsit, & de Graecis uersibus quosdam praeclare fecit Latinos. Post quadriennium inuitatus clementiss. à Philippo illustriss. Hessorum Principe, Marpurgũ commigrauit, cum neq; eum schola Erphordiana amplius liberaliter acciperet, & anni ingrauescerẽt, & liberi crescerent ætate & numero, & patria quoq; dulcedine quadam sui insita omnibus ad sese reuocaret occultis blanditijs ciuem suum. Perfecerat autem Princeps Philippus (quod tu melius nosti Adame, non minima pars rerum illarum, quàm ego) ut omni genere doctrinæ celebres & spectati Marpurgi congregarentur, quo in loco consecrato pijs Musis, munificentiaq; sua stipendijs nõ spernendis constitutis, honeste & non incommode uitam ducere possent, in studiorum bonorum cultu, & uirtutis ac sapientiæ doctrina. Ibi Eobanus & reliquum ætatis breue tempus peregit, & praeclara opera multa elaborauit ingenij bonitate, & industria ingenij sui, inq; primis totam Homeri Iliada conuertit in uersus Latinos. Opus autem egregium atq; praeclarum autore & hortatore Philippo Melanchthone incoare cœperat, ut ad Christianum ritum Fastorum libros conscriberet, cuius uix paucos initij uersus absoluit, & hanc decedens palmam reliquit in medio eruditis secuturæ ætatis, quàm

quá

qui amico nostro Ioanni Stigelio præripiat, persuasum mihi est, futurum esse neminen: A quo hi libri iam pridem expectantur, exituri propediem, ut speratur in lucem, & nostris temporibus & autoris famæ gloriam & claritatem conciliaturi sempiternam. Sed nihil est quod in tota uita sua præstiterit maius aut melius, quàm quòd Psalmos Dauidicos, religiose & erudite in Latinas elegias transtulit: Primum quidem Erphordiæ, sed denuo & maiore cũ cura & aßiduitate Marpurgi, ubi & præclara argumenta quaternis uersibus comprehensa præposuit singulis Psalmis, ut prodierit tum uere sacosanctum opus, omnibus, ut dicitur, numeris absolutum. Quo uir pietate insignis & casto pectore & religioso studio celebrauit æternum Deum, & omnibus nõ prophanis neq; uecordibus, occasionem de rebus diuinis cupide & ardenter commentandi præbuit. Qui est ad Deum cultus summus, & maximus ad homines fructus. Hoc igitur opus & hic labor est, quo Eobanus sibi spem singularẽ gratiæ ac beneuolentiæ diuinæ cõparauit, & admirationẽ sui, ac caritatem reliquit posteris. Quorum nemo est nisi improbus & malus, aut imperitus & barbarus, qui non illum hoc potißimum nomine amet & ueneretur. Fuit autem non minus Principi gratus præsens Eobanus, quàm studio ille habuerat, ut sibi hunc adiungeret, Iocos & seria cum ipso miscere non dubitabat. Inprimis de simplicitate & candore & studio ueritatis,

mans Eobanum quod iudicium ipse poßit facere, cum de eruditione doctrinæ alijs affirmantibus crederet.
Magnopere delectabatur Eobanus latrunculorum ludo, quo ferunt sæpe Principem suauiter cum Eobano lusisse, cum iracundiam illius commoueret, circumuenti & inclusi, dum in celeritate minus caute produceere illas calculorum copiolas. Vere enim ludebat Eobanus, neq; considerationi aliquid diligentiæ impendebat, neq; tempus terere cogitando sustinebat. Itaq; nihil erat facilius, quàm si quis calliditatis aliquid usurparet, insidijs eum uincere. Tum igitur cum cernebat se hærere, cõmoueri uehementer, Sed ita ut simul cum amissa uictoria illa perturbatio resideret, uel potius abiret. Sed à Iocis ad seria redeamus. Erat Eobanus magnus osor superstitionũ, & ueritatem cum propter naturæ simplicitatem, tum liberalitatem institutionis amabat. Itaq; uenerabatur & colebat eos, qui illis temporibus Monachorum potentiæ & barbariæ opponere audebant confeßionem & assertionem ueritatis atq; bonarum artium. Cum autem his negotijs, quemadmodum fit, Principum quoq; studia admista essent (nam hoc omnibus temporibus obseruatum est, Ecclesiæ & Reipub. quasi fluctuationes aut commotas simul, aut non longo interuallo sese mutuo cõsecutas esse) Tum igitur Principibus quoq; eam rem curantibus conuentus interdum habiti, & necessariæ deliberationes susceptæ fuerunt. Cum autem Princeps Cattorum

Philippus, illo tempore operam diligentiæ impenderet stabiliendæ doctrinæ religiosæ singularem, conuentum aliquoties harum rerum caussa fuit in oppido quod in siluis Dyringiacis situm, propter crebras illis in locis æris ac ferri fodinas, & huius generis officinas Chalcidem solebat nominare Philippus Melanchthon. Eo igitur, anno Christi M.D.XXXVII. cum celebre concilium indictū fuisset, Eobanus quoq; se cum Heßiacis contulit. Atq; ibi Ioannem Stigelium, cuius paulo ante mentionem fecimus, tum admodum adolescentem, honesta familia gentis Duringiacæ natum, primum familiariter cognouit, & statim incredibili amore complexus, neq; obscure, neq; falso uaticinatus fuit, quam ille facultatē Latini carminis consecuturus esset. Eam nimirum, ut tanquam Germana soboles, laudem ac nomen, quod Eobanus sibi ingenio & industria ac studio peperisset, Stigelius quasi hæreditatem legitimam ab illo relictam, paulo post adiret atq; cerneret. Itaq; iam tum Eobanus non aliter quàm filij appellatione uocare Stigelium, iocari cū eo suauiß. complecti illum amantiß. materiam & argumenta interdum illi uersuum faciendorum proponere: Deniq; ita se gerere erga adolescentem, ut diuinitus animum Senis commoueri & fauorem excitari, & dirigi iudicium appareret. Stigelius quidem quam non fefellerit præsensiones Eobanicas, Quòdq; ueluti soboles ingenua paternum genus referens, in nomen quoq; illius atq; decus successerit,

scripta ipsius facile declarant, neq; me plura de his in præsentia uerba facere decet, uel ne amico uiuenti atq; florenti assentati fuisse, uel ne ad augendam hanc narrationem omnia undiq; collegisse uideamur.

Hoc neq; silentio est prætereundum, neq; alienum uideri poterit, eam à Stigelio gratiam relatam fuisse amori Eobani, ut impense eum ille obseruaret, & reuerentia debita patri prosequeretur, & omnibus officijs uiuo studiosiss. inseruiret, & memoriam fato suo defuncti in terris posteritati elegantißimis suis uersibus commendaret, ornatam cũ Epitaphijs carminibus, ut fieri consueuit, tum accurata mentione alijs in argumentis, ubi locus esset, occasioq; sese offerret honorificæ commemorationis de illo, aut speciosæ appellationis nominis Eobanici. De his igitur hactenus.

Ac nunc deinceps ad tristißimam narrationem ita re poscente, procedat expositio, ut ijs quæ retulimus quasi Colophon addatur exitus ex hac uita, & migratio in meliorem locum Eobani, Qui suo tempore miseras & afflictas multiplici clade terras reliquit, Cum tamen adhuc rei aliquid quo ille delectaretur, & spei nonnihil quo sustentaretur esset reliquum. Eobanus itaq; in patriam reuersus, cum omnibus ijs in locis in quibus fuerat, memoriam præclaram nominis sui reliquisset, & quodam tamen, ut ita dicam, Homerico fato migrationibus exagitatus fuisset, quatuor annis & in re meliore & spe luculenta Marpurgi uixit, annoq; il-

lo qui mortem antecesſit, correptus fuit interdum podagricis & arthricis morbis. Quibus cum ſentiret ſe tentari initio tulit hunc caſum moleſtius. Sed ægritudinem ſimul ac cruciatus die mitigante, deſijt queri de hoc malo, ac incidit in diuturnum ac tabificum morbum, præter opinionem omnium, qui ferè alios metuebant. Propemodum igitur anno toto magis languoribus, quàm ægrotatione cõfectus, tandem tertio Nonas Octobris, cum diu tacuiſſet, de improuiſo uoce emiſſa, ſe uelle ad Dominum ſuum aſcendere dixit. Idq; ijs qui aderant approbantibus, quòd arbitrarentur in animo ipſi eſſe congreſſum cum Principe, & affirmantibus principi id gratum fore: Eobanus nihil ad hæc, ſed paulo poſt placido fine concluſit uitam in terris ſuam, & in cœlũ ut ſignificarat, hinc commigrauit ad æternum Deum Dominum ſuum, cui fideliter ſeruierat, & cuius miniſteria ſedulo obierat, ea gnauitate & ſolertia, quam ille idem ipſi fuerat largitus.

Morte Eobani nunciata, affecti omnes triſtitia fuerunt, ſed Princeps inprimis indoluiſſe huic fertur. Qui præbuit ſe permunificum erga relictam coniugem Eobani fœminam lectiſſimam, & utriuſq; ſexus liberos; quibus etiam locum ſecum eſſe uoluit, & munera aulica demandauit filijs, uirgines & matrem commendauit illuſtriſſ. principi coniugi ſuæ. Itaq; illi marito & patre amiſſo, tamen ſic poſtea uixerunt, ut orbitatis quidem & deſiderij, ſed nullo alio incommodo affice-

afficerentur. Reliquerat autem Eobanus, ut hoc genus solet, nihil ferè suis nisi famam excellentem & nomen celebre, & laudem ingenij doctrinæ, uirtutis. Quæ in dies ad uictum & cultum huius uitæ minus adiumenti afferre incipiebat hæredibus, nunc etiam aliquando nocere deprehenditur.

Hic est cursus quem nos cognouimus peregisse in terris Eobanum, & quem exponendū esse descriptione nostra duximus. Vixit autem annos LIII. M.VIII. D.XXVIII. Statura corporis erat procera & robusta, pectus latum, facies aliquanto toruior. Vt Albertus Durerus dicere soleret: Si illum non nosset, & imaginem expressam aspiceret, suspicaturum se, illam esse bellatoris. Et erat profecto animus in homine magnus, & qui metuere nesciret. Sed uoluntas minime dimicatrix aut contentiosa. Ipse neq; in cibo neq; potu delicatus, aut lautitiarū appetens, neq; scires quo maxime præ ceteris caperetur aut alliceretur. Salsis tamen pisciculis ac acido olere delectabatur, & in autumno iuglandes recentes incisas superfuso uino ita comedebat, & mustum sic bibebat, ut inde aliquid uoluptatis se percipere non dißimularet.

Signo quo utebatur erat olor per ramum Lauri ascendens, & attingens capite nubes. Quod cum depictum fixisset super ianua ædicularum quas conductas Norimbergæ incolebat, addidit elogium horum uersuum duorum:

Nubilâ scandentem Lauri de stipite cygnum,
Hesso stemma suum libera Musa dedit.

In aduersis uel quicquid forte accideret quod molestiam afferret, pronunciare solebat, nomen patientiæ. Quo se ad ferenda tristia confirmabat. Nihil minus ferre poterat, neq; peius oderat, quàm obtrectationes aut criminationes aliorum, quas obortas quocunq; loco aut tempore etiam iracunde refutabat & cohercebat. Mendacium neq; ipse dicebat, & dicto grauiter offendebatur. Insidias calliditatis neq; norat neq; cauebat, itaq; iniquißime patiebatur se ludibrio haberi, & fidem atq; simplicitatē suam malitiæ deridendam exponi indignabatur. Inter iocos hunc libēter exercebat, ut propositum uersum aliqua parte sui mutari iuberet. Veluti in hoc: Vitam quæ faciunt beatiorem, quid pro ultimo nomine numerose posset reponi, ut quæreret. Ac memini sæpe unam aut alteram horam talibus permutationibus inter epulas nos absumsisse. Sed in his paruis exercitatiunculis immensa uis ingenij Eobanici innotescebat. Versus etiam tum facere & ad faciendos alios inuitare statim & sine ulla animi cogitationisq; adminiculo, neq; cura inueniendi quid diceretur adhibita. In quo genere proferebantur ab ipso sæpe complures uersus numeris & uerbis ita concinni, ut nihil fieri posse uideretur elegantius, sed sensus nullus exprimebatur. Itaq; memini aliquando quosdam qui sibi arrogarent aliquid facultatis Poëticæ deceptos fuisse,

se, cum argumentum quoppiam explicatum esse putarent, & quid rei significaretur quærerent. Solebat & inuertere in conuiuio uoces, non enim poterat quiescere, & nihil illi, nisi quòd & læderet neminem, & esset ingeniosum, placebat, et seria tamen tum non patiebatur admisceri, & ostentatoribus ingenij, siue quis sapientiæ tum disputationes explicare, seu recitare aliquid scriptorum suorum, seu quocunq; modo doctrinæ & eruditionis suæ specimen edere conaretur, admodum irascebatur, eorumq; ineptias interdū repudiabat asperius. Inuertere igitur solebat uoces teutonicæ inprimis linguæ, quod erat factu ideo facilius, quia in hac omnia ferè sunt primæ originis uocabula, unius syllabæ. Ad hanc usurpationem ita nos usu assuefeceramus, ut ignari negotij arbitrarentur externa lingua nos colloqui.

Hæc habui Adame, quæ ducerem narranda esse de Eobano nostro, cui serius quidem quàm tu uoluisti, & ego debui, Sed fide & diligentia maxima hoc officium præstiti, & quasi iusta funeris persolui. Cum profecto inter præcipua bona numerem amicitiæ & familiaritatis usum & uinculum, quo cum Eobano Deus me coniunctum esse uoluit. Qui quidem breue curriculum uitæ suæ laudabiliter & feliciter confecit, & si molestijs non caruit, præsertim rei familiaris. Et hanc uitam in terris eo momento reliquit, quo quasi de conuiuio tempestiue discedens, ita impendentē confusionem

 fusionem

fusionem & turbas, deniq; ea ad quæ nostra producitur, declinando uitauit. De quibus plura nunc scribenda, & dolori perturbationiq; indulgendum esse non putauimus. Eodem anno multi ingenio, dignitate, uirtute, sapientia, doctrina præstantes uiri diem suum obierunt, ut hunc studijs bonarum artium & excellentiæ humanæ fatalem fuisse credi posse uideatur. E quorum numero Guilielmum Budeum hoc loco nominasse satis habuimus.

Composuit autem, ut scis, Mycillus noster elegantissimum carmen de Eobano, quo ipso pertexuit historiolam quandam uitæ fortunæq; & mortis illius. Quod est in manibus omnium. Nos etiam hoc loco apponere uoluimus nostros uersus quos conscripsimus, quasi ad sepulcrum Eobani apponendos, id est, ἐπιταφίου.


HELIO EOBANO

HESSO, VIRO OPTIMO, PRINcipi Poëtarum, amico suauißimo, Ioachimus Camerarius Pabebergensis F.

HIC situs est Hessus, patria tellure receptus,
Quo redijt Domino se reuocante soli.
Dum circum huc illucq; uagus fert seq; domumq;,
Quærit & Aonio præmia digna choro.

Nomi-

Nomina ille quidem reperit. Sed præmia Musis
Huius nulla satis digna fuere uiri.
Nec potuere dari, neq; sæcula nostra tulerunt
Tantum, ætas Hessum nosset ut illa, boni.
Gloria sera uenit meritis, post fata superstes,
Inq́; dies melior fama sepulta redit.
Et tamen ipse suæ cognouit nomina laudis,
Audijt & tempus se celebrare suum,
Cæpit & ingenij de fructu commoda uiuus,
Virtutisq́; suæ crescere uidit opus.
Sed maiora ferunt insignia scilicet anni,
Viuentis cædens quos abit ante decus:
Illi etiam eximiæ famæ præconia, mundus
Hesso, donec erit, splendidiora ferent.
Hoc satis est. Heßi busto sepelitur in isto
Corpus, in ætheria spiritus arce manet,
Per terras bona fama uolat, speciosaq́; laudis
Nomina Pieria testificata manu.




Ἡλίῳ Ἐωβανῷ Ἕσσῳ, ἀνδρὶ βελτίστῳ
καὶ ποιητῇ ἐμμελεστάτῳ.

Ἀστεραμουσάων, χαρίτων ἔρνος, στόμα Φοίβου,
ποιητὴν λιγυρῶν ἡδυθρόον μελέων,
κήρυκ' ἀθανάτου τε θεοῦ θνητῶν τε δικαίων,
Ἕσσον Ἐωβανὸν τῇδε κέκευθε κόνις
δεξαμένη πατρὶς αὖθις ἑοῖς κόλποισι θανόντα,
ἣ μετ' ἐν' ἐκ πολλῶν ναῖεν ἀναστασίων,
ἔνθα μαραινόμενος τε φθινώδεσιν ἠρέμα νούσοις
ἥσυχον ἐλλογίμου τέρμα λέλογχε βίου.
ὄλβιος, ὃς κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισι λελοι-
ἤθεν ἐς οὐρανίους εὐθὺ βέβηκε δόμους. (πὼς,
ὅσδέπου ἐν τῇ γῇ πολυπλαγκτοσύνῃσι κέκμηκεν,
ἐξ ἀφ' ὁμηρίου καὶ τόδε δῆτα τύχης.

ἀπὸ Ἰωαχείμου Καμε-
ραρίαδου μνημόσυνον
σεβάσμιον.

IOACHIMVS CAMERARIVS PABEPERGENSIS

Amplißimo V. Petro Suauenio Equ. ord. gentis Pomeranicæ &c. uirtute, ſapientia, dignitate præſtanti, amico obſeruando S. S. D.



PISTOLAS EOBANI Heßi ad me et alios quoſdam ſcriptas, cũ emittere in lucem decreuiſſem, adiunctas illas quidem ad narrationem de autore noſtram, de his ipſis nunc etiam aliquid uerborum à me putaui fieri oportere. Tu uero Petre Suaueni, mihi idoneus es uiſus, ad quem oratio iſta dirigeretur: Itaq; placuit includere mentionem hanc Epiſtolæ ad te publice ſcriptæ, tuæq; excellenti uirtuti ac humanitati gratũ hoc ſtudium à me futurum, et iſtud officiũ ſtudij mei uoluptatẽ tibi allaturum eſſe cõfido. Iucũda etiam ſpes quaſi ἀτῖτάλλοισα, ſecundum Pindarum, et ſouens cupiditatẽ meam ſentiebatur animo meo, te non inuitum in ueteris noſtræ neceßitudinis memoriam rediturum eſſe, & recordaturum libenter iuuenilem communium ſtudiorum curſum, quo ut te, uirtutem et ſapientiam tuam, ad altißimum dignitatis & honorum gradum euexiſſe lætor: ita non dubito

bito, quin non modo non despicias quasi humilitatem litterarum atq; artium nostrarum, sed has nunc quoq; colere & exercere non desistas. De quibus quidem aliàs sæpe cum nostras quasi rationes retulimus, tum querelas etiam non potuimus reprimere, neq; iam ad hæc relabi rectum esse existimamus. Secutus aũt persuasionem de humanitate tua & singulari beneuolentia erga me, hanc ad te Epistolam Epistolis Eobani præponere, & quædam quæ silentio prætereunda non putaram disserere uolui. Quæ, si minus forte iam te delectarent, in optimam certe partẽ accepturus esses. Etsi igitur in his Epistolis quædam erunt, quæ fortasse ad talem modum edi non oportuisse aliquis arbitretur, nos tamen, ut opinor, ita temperauimus iudicium nostrum, & eam adhibuimus moderationem, ut prudentes, neq; diligentiam desideraturi, ueq; omnino consilium editionis talis, improbaturi, & cautionem nonnullam laudaturi esse uideantur. Nam quasi delectu habito, aliquas nimis familiariter scriptas epistolas quasi ignaua nomina induximus: Rectius nos facturos esse statuentes, si aliquid omitteremus, cum honorifico de Eobano sensu, quàm si omnia cũ periculo opinionis alienæ euulgarentur. Cum autem uniuersa, ut spero, sententiæ bonorum & cordatorum condemnationem effugerint, partes deinde singulæ, facile, nisi fallor, defendentur. Nam pleraq; omnia cum expressa sunt de archetypis fideliter, tum id efficiunt, quod maxime

xime uolumus, ut Eobani natura atq; ingenium cuiusmodi fuerit, declarent, & prædicent hac quoq; ætate illius merita in rem litterariam, & celebrent nomen optimi atq; præstantißimi tam uiri quàm Poëtæ dignum memoria sempiterna. In Eobano uero *quoniam erat ea simplicitas & is candor, quem de innocentia maxima & summa bonitate elucere par esset, neq; consulebat ille quiquàm astute, neq; eloquebatur solicite, neq; agebat nimis accurate, ac potius tam de animo fide & uirtute pleno sermo confidenter procedebat, quàm omnia comiter & cum facilitate ab ipso gerebantur.* Itaq; & Epistolæ *scribebantur consentaneum in modum, iucundæ ac suaues, neutiquam anxie compositæ, & quod esset ingenij quasi flumen quoddam abundans, incitatum huius impetum, securus quicquid hic ueheret, minime reprimere, aut huic cõsiderationis molestiam obsistere pati solebat.* Quanquam *autem sunt multi sane anni cum tu,* Petre, *iterum illum* Erphordiæ *uidisti, reuertens de* Vangionico *itinere, tamen non dubito, quin plane reminiscaris naturæ & morum huius.* Neq; *non existimo pulcerrimam & maxime utilem esse in hac uita curam, attentionem, circumspectionem, & ut dicam uno uerbo, diligentiam. Sed remißio quædam & incuria quoq; naturæ ἐπιεικοῦς atq; liberalis qualis Eobanica erat, non minus laudabilis mihi uidetur, quàm contentio & uis mentis, & acres motus, & his respondentes actiones, in hoc maxime genere scholastico*

lastico, cuius ea plærumq; est ἀφέλεια τε καὶ εὐήθεια, ut derideatur illud à plurimis, qui intelligunt hoc & facultate & uoluntate defici, quo minus magnas ac memorabiles res suscipere & exequi uel ualeat uel ausit. Itaq; Reipub. *non magnopere prodesse scholasticos suspicantur, quia non uident neq; degustant alios fructus, qui de eruditionis litterarum & bonarum artium ocio percipiuntur. Sed de his nimis fortasse multa, quapropter ad* Epistolas *redeamus.* Has *igitur ita spero opera et nonnulla industria studij mei esse elaboratas, ut neq; prudentiam ullius offensurū hoc opusculum, et multorū animos oblectaturum, nullius aūt expectationem frustraturum esse uideatur.* Tuæ *certæ opinioni quam scio esse præclaram de* Eobano, *satis esse facturum mihi persuadeo.* A *quo si iste qualiscunq; ueluti partus non excogitationis meæ, neq; ingenij, sed curæ & laboris, non repudiatus neq; abiectus fuerit, fiet ut à cæteris etiam, qui legerint, fauorem mihi polliceri non sim dubitaturus:* Vel *etiam ut negligam successus curam, neq; laborem quid alij sensuri dicturiue sint, si modo accesserit ad iudicium meum sententia tua.* De *quo iam mihi promittens cætera, te ad lectionem* Eobanicarum Epistolarum *dimittam.*

Ad mea autem scripta quod attinet, placuit ista quoq; fortuito conseruata emittere in publicum, uel ut testarentur mediocre studium bonarū artium & humanitatis, meum; uel ut alij exemplo hoc ad similes

siue

ſiue conatus ſeu publicationes excitarentur atq; imulatarentur: uel quia (ut nulla eſſet grauis cauſa editionis) ſtatuebam epiſtolarũ Eobanicarum uolumen, & hanc acceßionem libenter admiſſurum, & iſtam illud quaſi appendicem non deformaturum eſſe. Sed hoc aliorum ſuffragijs decidetur. Tu ſi perſpectam humanitatem mihi tuam, & retentam opinionem beneuolentiæ erga me, ſignificatione litterarum tuarum non tam declarare atq; fulcire, quàm uſurpare ac conſeruare ſtudueris, feceris dignam rem ſapientia & uirtute tua, & qua non modo memoria renouetur neceßitudinis noſtræ, ſed cura etiam quacunq; in re aut parte gratificandi tibi mea prouocetur. Id quanti fieri mereatur, aut quanti faciendum tu ipſe credas, ipſe & ſtatues & oſtendes. Vale, & ut facis me dilige.

Iterum uale. Norimbergæ

XV. Calen. Februarij.

EPISTOLÆ DIVERSIS TEMPORIBVS AC LOCIS AD IOAchimum Camerarium, familiariter ab Eobano Hesso perscriptæ.

Ioachimo Camerario suo Eobanus Hessus S. D.

QVI nunc Mercurio similis uultuq; togaq;,
Maior eras titulis quos Ioachime petis.
Quòd mihi Lucifero nomen deducis ab ortu,
Accipe quaq; probem, quaq; ego parte negē
Vox Græca egregiam nostri uim nominis explet,
In uersu dubito sit ne habitura locum.
Nam quis ἐωβανὸν non dixerit haud ἑοβανόν,
Vt subeat prima, syllaba longa breui.
Quod nisi me ratio Matutæ fallit & ἠοῦς,
Ista breuis fieri syllaba longa potest.
Namq; quod ad primam spectat discrimine nullo,
Romani uates illud & illud habent.
Docte Latinorum componere Græca figuris,
Mole sub hac pressum me Ioachime leua.

Ioachimo

Ioachimo candidißimo candidato suo S.

NOn consentit mea ratio cum eorum rationibus, quos ad memorabile facinus audendum te significas instigare cohortando. Quamuis diu nullam rem tam molestè, imò ægrè atq; impatienter tulerim, quàm casum amici istum nostri. Sed inuenietur aliqua isti malo medicina, uel consilio opeq; amicorum, uel ipsius adeo uirtute. Respice te tuosq;. Non enim omnium eadem est sententia. Et talia alij aliter accipiunt ac interpretantur. Nostrum etiam Pætum respice, qui nunc abest, & aliam spem primum ipse concipit ac fouet, deinde alijs de te ostendit. Vt autem ille etiam probaret quod fecisses, doleret certe facto. Quare, ut dixi, non suadeo, ut obtemperes ijs, qui inducere eò te uolunt, unde uel reditus nullus, uel perdifficilis futurus sit. Habes meam sententiam, quam cupio aliquid ponderis habere apud te. Mihi etiam parce, obsecro, ac noli te eripere meæ scenæ. Nam, si nescis, ego isti fabulæ extremum actum impositurus sum. Ac scio te non arbitrari contemnendum aut negligendum tibi esse, quin tuum quoq; nomen memoretur in hoc theatro nostro. Vale, καὶ σπεῦδε βραδέως. E Regia Epiphanijs, Anno XXI.

Eobanus Ζεὺς ἑταῖρ, Ioachimo ἐρωμένῳ χθονίῳ S.

HEVS tu Mercuri, si petasum deposuisti, & remouisti talaria, & manus non amplius grauat

caduceus, siq; animulas tuas collocasti suo quāq; loco. Deniq; munere si tuo perfunctus es, fac quamprimum te ad nos conferas. Hoc satis est, Iam enim non rogare, sed iubere nos decet. Aderis igitur, uel resumtis talaribus aduolabis dicto citius. Dictum satis, adesto.

IOACHIMO CAMERARIO VIRO doctiss. & strenuo Censori suo amiciss. S.

Dupliciter offendisti simplicitatem meam hesterna confabulatione, quamuis leuiter, sed offendisti tamen, quòd & pecuniam in mensa me insciente reliquisti, & meum de Plinio iudicium indigne interpretatus multò peius quàm oportuit, calumniabare. Verum de illo facilis iactura, facilior compensatio, de hoc non perinde. Nam rerum istarū leuium obtrudi aliquid etiam inscio possum pati fortasse. Iudicium de Latinis literis in totum adimi mihi non fero. Et quoniam tu inuictis rationibus agis omnia, peruelim scire, qua ratione non liceat mihi sentire per te, quod & sentio, & uerum esse scio, & sentio cum te doctioribus. Feres autem tu, quæ tua est uirtus, dici esse aliquos te doctiores, tametsi utinam tuæ eruditionis uel partem aliquam mihi liceat assequi, qui in ista mea perpetuo studiorum solitudine penè consenui. Quæ igitur causa tibi fuit calumniandi luculentissimum scriptorem? Nulla, si uerum fateri potes, nisi quod ego parcè & modicè laudâram. Quæ res ali-

quo

quo modo conturbabat animum meum. Videbam enim futurum, ut ea ratione quicquid ego probarem, tu statim improbares. Futurumq; ut pudere me inciperet huius meæ qualiscunq; scolasticæ professionis, quando metu tuæ censuræ nihil auderem, nisi munitus centum rationibus ut Briareus manibus. Sed quid agam? S peccatum est, penes illos culpa est, qui me huc corrogarunt. Sic natura sum. Istis acribus, & quidem iniustis dissensionibus non acuis, non excitas, sed obtundis, sed terres hoc ingenium alioqui ut simplex, ita irritabile. Et mihi uidebatur, nostra mutua amicitia ac tua eruditione non indignum, si quibus in rebus, ut in plurimis soleo, cæcutissem, admonere erroris amice, non agnoscentem uerò errorem contemnere, non ita statim in sympositis concitare turbulas. Nam & tu uidebas adesse, quorum ego crederem in disputationibus rationem habendam fuisse, Michaelem & Georgium, quia docti uiri sunt, nihil moror. Sicut nec tu Erasmũ, cuius tamen flores, Plinianis, si dijs placet, amœnitatibus præfers. Volui duntaxat pro amicitia nostra expostulare tecum, non certare rationibus (quæ certè mihi deesse non possunt, si agamus serio) quod tuas ad omnes syllabas statim paratas, inuictas rationes metuam. Quæ malum ista demum ratio est, nihil audere mutire, cuius non statim, quare uel dictum uel factum sit, rationem adferas? At ille apud Gellium nimis superstitiose rationibus insistentem contemnit & exibilat. Ego uerò

uoties deinceps congressurus tecum sum, abacum aliquem & calculos ad manum habebo, ut si ita ferat ratio, rationibus tecum agam, Etsi ratiocinari parum didici, numerare multò minus. Carmine scribere non sum ausus, ne hinc effugeres. Nam huiusmodi nihil te expectaturum dicebas. Miserum me si ne Epistolas quidem feres. Itaq; nec ego responsum aliud expecto, quàm ut scribas uel dicas potius iocatum esse te. Nam ego lubentius iocor ad tuas illas seueras rationes rudis & indoctus. Vale domi nostræ, anno aduentus in hanc urbem nostri, id est, XXVI.

Isto uerò modo præstas, quod toties polliceris. Et quando συνελληνίσομεν; Nam libenter artificem tuo ducam sub pollice uultum. Vtinam non hesternam fabulam absterrendi mei causa susceperis.

Tuus Hessus.

ERVDITISSIMO VIRO IOachimo Camerario polyhistori suo S.

Pulchrè mihi satis facis per omnes partes facetissimæ Epistolæ. Quarum uni tamen ex omnibus postremißimæ respondeo, ubi petis si ego capiar, musto, ut permittam tibi uina uetera cordi esse. Rectè hoc quidem, nec ego uolebam excludi prorsus ab amphoris, natis Manlio Conf. etsi properabam noua musta bibens.

bibens. Nam uices muto, nec semper idem sum, nonnunquam tribulos mando, cum asinus sum, id ubi esse pertæsum est, rosis uescor: à frugibus plærunq; ad glandes redeo, rursus ab his ad illas. Quid periculi cum non minus mihi constem? Ac multò etiam magis quàm Cytharedus, qui chorda semper oberret eadem. Tu si ægre fers, somno te per meum Statium, quem tu Lucium uocas, excussum, cogitabis, et me ne prandere quidem tuarum literarum importunitate quietum potuisse. Itaq; quod unum potui prandere oblitus, risi. Sic me capiebant Argumenta, quibus magis iustis quàm fortibus tuam causam defendis. Et ego nolebam alia, quod recte præuidisse te quædam ingenij non perinde cum corpore obdormientis laus est. Tu uero cum omnia male, ut scribis, facias, hoc unum facis rectißime, quòd nobis secundum nostram sapientiam respondes. Quæ uero inseris τὰ ἑλληνικὰ οὐ ξυνίημι, nisi tu doceas id quod facturum polliceris, iubesq́, diem tibi ego & horam constituam ad rem eam adgrediendam, utinam non anno sit opus, & utinam tantum uno. Si nihil prohibet te hoc uesperi mecum esse, uel, si ita uideatur, tecum me, fac ut intelligam non uenturum sed uenisse te, neq; affuturum domi, sed adesse. Vel, si hodie non uacat, cras forte licebit. Vale, & iacturam iuris neglecti aliũde sarci, et carne opus est, Si satur esse uelis. Parum enim sæpenumero in iure præsidij, etsi hoc in armis est. Scripsi à prãdio et ipse dormitabũdus. Reliqua coram.

Tuus Hessus.

Ioachimo nostro S.

SI ipse alijs negotijs occupatus uenire ad nos non potes, mitte nobis oro carmen, quod nuper ostendisti de latrunculis, ut legens hoc saltem dum nihil ago, agam. Tametsi liberet expatiari, uel in lucum aliquem, uel quoduis suburbanum, nisi sic me haec solitudo deprehendisset, ut nolit dimittere. Et cum sint omnia muta circum me, quos maxime mutos mihi adesse uellem, eos non habeo. Vale, & saluta Longidormium tuum.

Tuus Hessus.

Ioachimo uiro doctiss. suo S.

EST omnino, ut ais, Ioachime, labor molestus, et eo molestior est ille labor, quo me occupas, quo minus ego hunc possum uincere. Haesi & ego aliquando in his nominibus, & ne nihil agerem, adscripsi tum codici meo Horatianum hoc:

Quem sors dierum cumq; dabit, lucro
Appone. &c.

De Eriphylo item Rhodio nihil, nisi quod meus liber habet Emphylum. Si hic non est inter Oratores nobis cognitos, apud ἀντίποδας quaeras censeo. Mihi talium librorum nunc ad manum nihil est, è quibus huiusmodi uenari solemus, alioqui nullum laborem omissuri

in tuam gratiam. Cur uero torquent te tantopere isti loci? quamuis priorem & ipse uehementer requiram. De Emphylo, quoniam notus esse non uult, ne cura quidem est ulla mihi. Quid si consulas delicias Ludimagistrorum Volaterrani commentarios? rides an stomacharis? Ego uero tuo exemplo κατὰ τὸν πλινίον loquor, cui tamen nunc, si dijs placet, asuescis. Verum uide etiam atq; etiam qualem tum uirum deriseris. Ego, si Plinius essem, forsan istos tuos nodos dissoluissem, quos nunc inexplicatos remitto. Tu, si solutos omnino uis, ense dissecabis, etsi Gordij non sunt, nec tu Alexander. Si quid tamen inuenero (sed quid inueniam, cui quaerendi campus & syluae desunt?) ad te mittam. Te hortarer, ut Plinio aequior esses; nisi & de hoc & de meis suspitionibus praeclare satisfactum mihi esset proxima Epistola tua. Si tamen non cessas κατὰ τοῦ πλινίου sentire, sic ages, ne offendas Ciceronem, nam eum habet ille patronum, tot annis post hunc natus. Te per Musas & Gratias, immo quam magis colis, per amicitiam nostram precor, si habes emendatius Exemplar Theocriti meo, quod cuiusmodi sit nosti, ut illud mihi des utendum. Hunc enim adoriri stat sententia, sed non sine Theseo, id est, Ioachimo meo. His autem diebus τὰ εἰδύλλια prosequar. Sed uereor admodum, ne, quodcunq; tibi uacabit a studijs literarum, id totum temporis alienis uel negotijs uel ocijs daturus sis, quod ne facias, mea plus quam tua interest, tametsi aliqua

 etiam

etiam ex parte tua. Vale. Impedierat me à praelectione quidam Erphordianus, domum meam mecum profectus, serius itaq; respondemus. Quo uero uesperi? ego hora quarta adesse iussus sum, & eadem, tu, ut opinor, in ludo eris. Vale.

Tuus Hessus.

Ioachimo suo Eobanus Hessus.

Franciscum lyricus coctum mandebat Iesus,
Tempore quo uitulis libera mensa fuit.
Longa ferè fatuus nunc somnia potat Halesus,
Tempore quo lyricis piscibus unda decest.

Nunc Sphinga consulendam
Verrem roges licebit,
Sis Oedipo uel ipso
Aenigmatum perito,
(Illo quem matri concubuisse ferunt.)
Priorq; doctiorq; :
Non hoc mihi explicabis
Aenigma tortuosum,
Sed tamen & uerum. Quid facies igitur?
Crepidinem praealtam
Scopuli petes marini,
Et inde praecipitem te
Dabis aequor in profundum.

Sed

Sed hoc abominaris,
Vt res abominanda est,
Quid restat ergo agendum?
Appollinem rogabis
Aenigmatum peritum,
Vt explicet tibi illud
Aenigma tortuosum.
Sed nunc in uacuam puerum uocat hora palaestram,
Nec licet ut libuit scribere plura, uale.
Hos nocturna tamen si dices somnia uersus,
Pars fuerit sirpi maxima nota tibi.

Ioachimo Camerario βοϊγραχοφόντῃ suo S.

NON tam aperte noueram istam fabulam, cuius heri omnia fermè arcana patefecisti nobis Ioachime. In qua, quantùm Philippi nostri integritatem, fidem, probitatem, aequitatem, denique cum eruditiss. simplicitate mixtum candorem, omnia admirabilia, admiror, ueneror, exosculor: tantum illius Thrasonis improbitatem, perfidiam, furorem detestor. Et nunc uero odisse incipio, ubi uideo, ferox ingenium, quo magis mansuete tractes, eò magis efferari ac insolescere. Vtinam mihi liceat libere, non pro me tantum, sed multo magis etiam pro Philippo, teque, cum isto monstro decertare, profecto furori suo dignum aliquem inuenerit Herculem. Non quòd ualde id ego cupiam, sed quia ue-

hementer doleo, illi sic impune cedere tam improbam temeritatem, ut qui, interim dum tacemus nos, eius opinionis quasi fructum praecerpat, posse uno quouis ictu se quemuis nostrum prosternere. Etsi, ut intelligo, tu minime tacuisti ausus etiam lacessere Cyclopem illum. Sed quid agemus Ioachime? Recte quidem tu & sapienter consulis, & me nunc decet, quamuis natura contumeliarum sim impatientiss. sanioribus consilijs tuis acquiescere, & ferre iniuriam potius, quàm in libera & quieta ciuitate tumultuari. Sed tamen ille mordebit interim, & obliquis nos stimulis configet. Quid tacemus uero?

Consulite in medium proceres Aganippidos undae
Tam fera quo fuerint monstra ferenda modo?

Vides ne eum minari plura etiam Homero uulnera? O miserum Homerum qui in tam malum fabrum inciderit. Quis non doleat optimi Poëtae uicem? quem maximi terrarum principes olim fecerunt maximi, eum igitur eò recidisse nunc fortunae uel ludibrij potius, ut ab uno fuliginoso fabro uelut captiuum mancipium in furnum rapiatur.

Huc huc pierides date flumina cuncta sorores,
Expirent ignes, non sit faber ullus Homeri.

Vtinã uero Ioachime, uel tu meum animũ uel ego tuam eruditionem haberem. Profecto páldm fieret, quam male ille faber tam pulchra opera pertundat. Sed tua perpetua modestia finem nullum habet. Et mea ignorantia quando tamen assequetur? id quod uehemen-

hementer cupio. Hoc uero in te est situm. Sed de fabro coram plura. Heri ego domi non fui, alioqui misissem quædam. Nam facere nequeo, quoniam aperte non licet, quin secreto tamē in istam petulantiā garriam, nam & ranæ garrulæ sunt, & utcunq; coaxant, quid prohibet uero nos cicadas esse, ὄπα λειριόεντα ἱεῖσας. Hodie ut credo, ueniet ad me necessarius noster, Verdensis, cui tuas nondum dedi, sed daturum esse heri dixi. Rogo ut interea illud quod petij μέλος mihi expedias. Omnino cogita quid faciendum uideatur de Cyclope illo, quamuis sciam te uix aliud cogitaturū, quàm quod heri dixeras. Vtinam uero mutes sententiam de tuo illo plusquam Pythagorico silentio. O miseros homines qui ex frontibus iudicant. Non pudet uero discerpi à Cyclope Homerum, cum tu aßis & uideas Musarum Vlysses? Sed uale, & ad nos si quando potes aduola, more Draconis nostri. Sed quid hoc malum miseriæ est? Iam et in culinariā Homeri peruersionē incidi, de qua non potui mihi temperare quin tibi mitterem, quod quasi in cocum iocatus sum, sed tuo exemplo. Iterum uale.

Restituit quondam cupido Pisistratus orbi,
　Amissum longo tempore Mœoniden.
Iußit Aristarchus peregrinas ponere plumas
　Quas misero audaces imposuere manus.
Sic tandem propria redimitus corpora palla,
　Iam notus domini solis utriq; fuit.

Videra

Viderat hunc patriæ perfusus iure culinæ,
Et dixit uestem non habet iste, Cocus.
Protinus Argiui detraxit pallia cultus,
Posse putans Latiæ se dare iura togæ.
Veste noua cultum populus spectare Po[illegible]
Dum properat uestis non fuit, offa fuit.

Item.

Iure Cocus miserum latio perfudit Homerum,
Dum de carne nihil quod dare posit, habet

EOBANVS HESS. IOACHIMO
uiro summo, nostro S.

FAlsus hodie fui Ioachime, cum scriberem hodie non exiturum me in aucupium. Sed id tum quidem constitueram, nunc oblata occasione muto sententiam, & exeo quo uocant nostri aucupes, non illi quidem c[illegible] μιχίδαι, qui te uulturem faciunt et aquilam. Hoc si gnificare tibi uisum est, ne et nunc frustra accedas τὰ βασίλεια. Sed quid ille de quo heri consuluimus, quo nam opus facto esset, Quid igitur? constanter negat se istam cantilenam cecinisse, audisse tamen concinentes, quod ipsum quidem dignum alicui uideretur tragædia quapiam. Nobis nō perinde qui natura sumus faciliores, adeò ut etiam delinquentibus ignoscere facile soleamus, si ueniant supplices. & uidemur nobis sapienter fecisse, qui tale scriptum præmisimus, quod omnem illi in nos stomachandi ansam præripuit. Quod si tu quoq; iam laudas, [illegible] omnia quæ obstatura existimabamus. Verum

heus

heus tu mi Ioachime, dum heri per ocium fasciculum quendam epistolarum tuarum ad me recenseo, uideo à tam blandis omnino & auspicatis initijs progressam huc usq; nostram amicitiam, ut putem eam non augere quotidianis officijs sacrilegium esse, Quæ tamen omnia tametsi non omnia, bona tamen istarum pars dum hijs temporibus aliquando longius distrahimur mihi, ut uicium meum simpliciter fatear, exciderant. Solus sedebam ad sesquihoram in cubiculo inter tuas literas & risi mirum in modum effuse, & nequaquam solus, sed tecum adsistente etiamnum nobis suauiss. Mycillo nostro cuius carmen inueni, simul & tuum adeò blandum & amabile, ut laudare tibi non ausim. Per Musas Ioachime, quæ tu uocare soles propitia mihi numina, peream, si non amant istæ te puellæ gratiosæ, & haud quaquam steriles, ne in arenis quidem his. Ac proptere a quoties istæc cogito, irascor tibi, qui tam animo parum forti sis in emittendis tuis, cum uideas nos de plebe quosdam sic gestire, prodire in publicum, ut etiam uitijs nostris fauorem ambire non uereamur. Verum hæc aliàs tecum. Cupio uidere Philippi ad te. Item. Nunquid cras in suburbanum? Vide ne obliuiscaris imminentium Iduum sacrorum magno Genio, quem nisi celebras aliquo extemporali elogio, Musis te deferemus, ut ingratitudinis reus fias apud Apollinem. Ego mox de aucupio reuersus ad uesperam, lauabo, sed non inter nocentes, tu si mecum uis ueni sed scio non uenturum, ne ad

eoca

tes, tu si mecum uis ueni, sed scio non uenturum, ne ad cœnam quidem. Itaque fac quod facis, maneto domi, donec exire tibi erit libitum. Ego hodie magnam permutationem regiarum diuitiarum feci.

Tuus Hessus.

Ioachimo Camerario suo S.

VTcunq; tibi molesta fuerint, uel etiam uoluptati mea ænigmata, ego uehementer risi ad tuam responsionem, nequaquam, quia malè mihi respondisse uideare, sic enim non riderem, sed quia supra modum delectatus sum extemporalitate ingenij tui tam multipliciter, & in quamuis occasionem paratißimi, uel autem me fallunt omnia, uel tuas solutiones non intelligo partim, partim recte assequutus es. Sed quid hoc noui nego cij, an nõ satis mihi cũ Theocrito? tu in causa fuisti qui principium introduxisti ab ænigmatis. Examinabo tamen diligenti opera tua carmina, etsi uidebitur, et uacabit, respondebo, uerum quis non rideat, unum tantum te ex sirpis nostris adsequutum, alios tamen ingeniosißime persequi. Sed uenies ne ad nos? Spenglerus hodie mihi molestum negotium imposuit elaborandi quiddam. Vnde sanè adhuc quidem abhorreo. Sed mos gerendus talibus est uiris. Iam respexi ad tuas λύσεις, quas quia despero me posse intelligere. Idcirco uenias oportet, mihiq; aperias. Vale. Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO
suo Eob. H.

AD nos cum caro uenturum nuper Hopello
Quae res diuersum te Ioachime tulit?
An quia magnificae preciosa tragemata mensae
Circumfusa mero non habiturus eras?
An quia colloquij non est ea gratia nostri,
Vt tristes animos exhilarare queat?
Siue has siue alias causas fateare fuisse,
Aspice quam nulla sint ratione probae.
Nam si uerus, ut est, amor est tuus, omnia debent
Talia uix minimae partis habere locum.
Non tamen haec dico quia te nescire putemus
Quo sit amicitiae fine colenda fides:
Sed ut inffecti quadam te ex parte monerem,
Quod simul emendes dum potes, officij.

IOACHIMO CAMERARIO
suo Eob. H.

INuictos toties oppugnature latrones
Scachidibus nymphis concubiture, ueni.
Inuenture domi ructantem carmina regem,
Martem conspicuum non habiture, ueni.
Atq; ideò citius calidas aditure patellas:
O facture diu plurima, nil faciens.

IOACHIMO.

Qvam mihi scribebas hesterna nocte salutem,
Membra, pedes, oculos, adsumus ecce tibi.
Quodq; melos tibi Musa recens generosa profudit,
Hunc iuuenem Nymphe nostra uidere cupit.
Quod si uobiscum nunc est & de grege uestro,
Antra cicuticines in sua panes agant.
Nam cur spreuerimus fatui conuiuia turni?
Prælegit casco Menalis ore mihi.
Sic tamen ut uolucrem mittas Ioachime libellum,
Nam tua per nebulas charta supina uolat.

Eob. R. A. O.

IOACHIMO CAMERARIO QVAEstori Regio ac pretorio præfecto, uiro Illustri suo. Eob. H.

Bvdæo nobis opus est, hunc ergo remittas,
Plutarchum retine quamlibet usq; diu.
Pars nobis bona pinguis est ferinæ
Quam nec debeo nec uorare possum,
Solus, uos decet esse & esse mecum.
Sed uos conditione iam uocamus
Ista, ut per breue ferre quisq; secum
Velit Symbolon & simul luamus
Quicquid perdiderit pater Lyæus.
Cras hoc fiet, ut ergo sis uocatus

Et nostro comitatus huc Stibero
Mature uenias uide, nec ullo
Ausis spernere nostra iussa pacto,
Mandamus tibi, nam simul futuri,
Nobiscum quoq; sunt probi improbiq;.
Hoepellus Myliusq; Mycalusq;
Et Lucas bonus & bonus, quis autem?
Quis nobis bonus ille sit futurus,
Si tu constituas, probabimus rem.

Quod si te nostros iuuat irritare latrones,
Pransus & armatus non nisi ad arma ueni.
Nam tibi campestri standum est in puluere, contra
Inuictos Reges Martigenasq; uiros.

OEDIPODIONIO SOLVENTI
ænigmata more, σφίγγὸς τεχνίτῃ Ioachi-
mo, hæc littera detur Ioachimo
suo Eob.

Solutor eia gloriose ænigmatum
Maiorq; quouis Oedipo,
Et ipsa tortuosa Sphinge doctior,
Vtcunq; sese res habet.
Siue inepta Quintia
Mensis apposuit suis
Nos, atq; liberaliter

Instruxit uitulans mirificis epulis,
Siue nos cupedijs
Suis ditauit somniorum ciuitas.
Bene ceßit ista nobis expeditio,
Dum tu pro talibus offers
Nec quintiana fercula
Nec tortuosa ænigmata,
Sed gratas mensæ liberioris opes.
Quas nisi misissem fatuæ tibi somnia noctis,
Te rogo per Musas an ne daturus eras?
Quando igitur numeris constant tua carmina miris
Si non mirarer, θαῦμα μέγ᾽ ἂν γέγονεν.
Sed neq; te miror campos peragrasse pelasgum,
Quasq; tenes lectas inde tulisse rosas,
Hoc magis admiror nostræ te ænigmata Musæ
Ceu nodos facili dissoluisse manu.
Scilicet hoc mea monstra uolebant
Et intricatæ somniorum fabulæ,
Et Musæ fatuæ & tenuia carmina,
Et cupidi uersus, mea cura,
Consuetudinis ô Ioachime tuæ.
Cras igitur ueniemus
Quando ita tu iubes,
Cui nec debeo, nec negare possum
Quicquid iusseris, interim ualeto.
Hæc tibi scribebam posita iam lance latronum,
Nabat adhuc madido pinguis in ore Ceres.

Docte per totas uigilare noctes,
Et mero dulcem stabilisse ludum,
Serion scribis magis, an faceta
Mente iocaris?

Ioachimo Camerario S. Eobanus.

TEcta bonus largum pluat in tua Iuppiter aurum,
Non quali Inachiam polluit imbre domum,
Sed quali solet ipse, tuo si credis Homero,
Aëre pauimenti stare, sedere throni.
Vtile cuncta tibi phœbus conuertat in aurum,
Non quali stolidum perdidit arte Midam,
Sed quibus auriferæ radijs coquit intima terræ
Viscera, quas uel Arabs uel niger Indus arat.
In tua tecta precor Tagus & Pactolus & Hermus
Flumina, sed qua sunt aurea parte, fluant.
Quod Ioachime mihi pluti terrestris egenti,
Contuleris uallis munera grata tuæ.

Ioachimo suo peregrinanti, S. D.

MItto tibi uersus meos de itinere tuo, quod est in manibus. Quod legens ita existimes, ueluti ex animo me scripsisse omnia. Nunc igitur ita, ut uides dimittimus te nostrum uel quæstorem uel prætorẽ, uel si mauis ὕπαρχον. Neq; aliud iam mihi cordi est, quàm

carmen ἀπαντητικὸν, quo tibi (id quod fieri quàm primum optamus) reuertenti occurramus, teq; redeuntem complectamur, & redintegratam esse coniunctionem nostram nobis congratulemur. Sed crastino ne die iter ingredimini? Si manes fac resciscam. Sed siue manes siue proficisceris, præter ea quæ iam sum precatus, precor ut propitius Deus te rebus bene gestis, saluum & incolumem nobis restituat. A me quæ fieri uis fient sedulo, & opere aliquid, ut spero te absente nauabitur, sed ut scias, spe maturi reditus tui. Vale, uade, uiue, ueni.

Tuus Eobanus.

IOACHIMO CAMERARIO SVO in Hispanias abeunti Eobanus Hessus Memoriæ gratia προπεμπτικον

Littoris Hesperij populos aditure, propinquis
Qua coit Herculei Gadibus unda freti
Vade bonis auibus, quoniam sic ire necesse est,
Non leuis ò animi pars Ioachime mei.
Non licuit sacras tecum coluisse sorores
Nuper is exigui temporis usus erat.
Sed quæ nunc rapiunt eadem te fata reducent,
Dij faciant subito sed meliore gradu.
Nobis interea mora longa uidebitur omnis,
Tristis & inuisos exiget hora dies.

Sicut

Sicut enim Aonidum comes unicus inter amores
Contigeras, nobis te caruisse graue est.
Fauerat hoc meritis forsan fortuna, sed ipsum
Cur non perpetuum, quod dedit, esse tulit
Tam pulchre cœptum cur inter rupit: & ausa est
Iniecta cursum detinuisse manu?
Vade tamen Tartesiaci pete littus Iberi,
Et quod oliuiferi Betidos unda rigat.
Inclita non tantum ueteris loca nomine famæ,
Quam quia præsentes illa tulere Deos.
Præcipue qui nunc Romanum Carolus orbem
Adserit, & Reges Cæsar in arma uocat.
Alter at Imperium repetit Fernandus auitum,
Quas illi pœnas proditor Hunne dabis.
Regia progenies, & sanguinis Aemiliani
Optima pars, magni regna tenetis aui.
Vade igitur pete consilijs loca sacra Deorum,
Cæsar ubi est quosdam quis negat esse Deos?
Vade per occidui scopulosa uolumina Rheni,
Et pete fœlici Gallica rura pede.
Littora contigeris Rhodani felicia magni
Perge, locus faciles non habet ille Deos
Protinus Alpinas à læua liqueris arces,
Alta Pyrenæi culmina scande iugi
Vlteriora leges feliciter omnia, donec
Constiteris magni Cæsaris ante pedes.

Hic mihi dum supplex Augustum numen adoras,
Aut hos aut similes concipe mente sonos.
Salue animo maior Regnis inuicte paternis,
Et quod habes uere Carole nomen habe.
Plura daturus eram tepidum mandata sub axem
Sed fugis, & mecum posse manere negas.
Vade animo lætæ, iuuenum decus, auspice sortis,
Sollicitæ uirtus est tibi causa uiæ
Vade tuum comitentur iter seruentq; frequentes,
Quicquid adhuc charitum maximus orbis habet.
Tu peregrinantes tecum Ioachime camænas
Sic studeas nobis reddere, sicut abis,

Ioachimo Camerario Eobanus S.

Siquid agant nostri sine te Ioachime latrones,
Quæris, operta situ desidc regna colunt.
Nunc animis solitas dedıscit inertibus artes,
Inuictus nuper qui tibi miles erat.
Languit errantis neglecta potentia regni,
Cassaq; consilij regia tota iacet.
Regem carcer habet, sinubus Regina recinctis
Prostat, & à proprio est milite tuta parum.
Scilicet in dominam miles lasciuit inermis,
Ocia regibus hoc desidiæq; ferunt.
Marcet auara senum prudentia, non eques audet,
Vt prius, effreni uerrere prata fuga.

Nulla cohors peditum sternendum prodit in hostem.
Opprimit inuisæ prælia pacis amor.
Atq; ita marte satum prædæq; libidine regnum
Pacis inops pacem donec habebit, erit.
Nunc age tu nobis tantorum causa malorum
Lapsuris regni suffice rebus opem.
Quod nisi quàm primum facis, At non esse memento
Versificis regis lignea regna tui.

Ioachimo suo cariß. Eobanus. S.

QVid meditaris obsecro? Quid igitur quæso moliris? Aut cur ad me cũ tali petitione uenis, curue hinc sumere mauis quod domi babes, & à te luculente potes promere. Sed uideo quid agas, Rursum ignoranti decus aliquod addere paras. Non enim ego tua testimonia contemno, mi Ioachime. Sed quicquid est, age mos geratur amico. Subscripsi uersui tuo Græco aliquoties conuersam illius sententiam. Tu eliges quæ placuerit, si nulla forte placebit, indicabis mihi inertiam meam, ut tua caussa denuo experiar quid poßim. Vale.

καὶ κασιγνήτῳ γελάσας ἐπιμάρτυρα θέσθαι.
Testem adhibe fratri arridens quæcunq; loqueris.

Aliter.

Quicquid ages sine teste nihil cum fratre loqueris,
Quanquam ridenti rideat ille tibi.

Aliter.

Quicquid ages cum fratre etiam ne teste careto,
Et blanda ridens accipe fronte uirum.

Aliter.

Sic fratri confide, ut testibus omnia firmes,
Fidere enim simul & nunquã confidere damno est.

Aliter.

Arridens sine teste loqui cum fratre caueto.
πίστις ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἤδη,
Sæpe quidem nocuit multis confidere, rursum
Attulit exitium non habuisse fidem.

Ioachimo nostro.

SI te Musarum comes unice nostra momordit
Littera, quod ludos obijcere ansa tibi est.
Non alia credas factum ratione, uelimus,
Quàm quia nil aliud quod loqueretur erat.
Et tam non acidis salibus perstringere amicos,
Auriculasq; iocis uellere sæpe iuuat.
Nunc tamẽ hoc gratũ est, quòd magni carmen Homeri
Instituis uiua tradere uoce tuis,
Sed quoniam, ut scribis, non faustum est μῆνιν ἄειδε,
Non adero μῆνιν *ne tibi commoueam.*
Cur etenim ueniam si pergas μῆνιν ἀείδειν.
Ni dicas fictam μῆνιν ἄειδε θεά. Hess.

Ioachimo Camerario S.

ROgo te mi Ioachime doctrinæ tuæ negotium quam breuißime queas, ut absoluas, nam nos ad solem non Volcanum cœnabimus, habet enim exustos ignibus oculos hic, ille uidet omnia, cum sit ὀφθαλμὸς Διός. Aderũt Mica Aepolus, Mylius, Venator, omnes cælibes & omnes coniuges. Viue cessa, & curre. μὴ σπεῦδε βραδέως, sed curre uelociter, Vale.

T. Hessus.

MYCALO ROTINGO THEOlogo suo dulcißimo animalculo S.

EX officio fecisti, opti. Mycale, qui nostrum Pindarum abiturum esse, mihi significaris, ne uirum doctiß. ad literatiß. sine litteris omnino dimitteremus, Quamuis necdum ego quicquam amicis scripserim. Ipsi tamen, si cras omnino decedit, breue hoc ὑπόμνημα dare te uelim, ad salutandos amicos, si non dabis tu, curabis tamen ut accipiat. Quod si cras non abierit, & Philippo scribam & fortasse alijs, Vale.

Tuus Hessus.

Ioachimo Camerario suo S.

VT moleste nuper ferebam abire te, ita nunc redi-

tum hunc tibi gratulor. Patris uero, quē scribis non multum abesse à morte, uicem propter te doleo, quia dolere te existimo. Sed prudentior es, quàm ut admonitione rerum talium egeas. Hoc age, si me amas, ad uesperam, sicut te facturum scribis, nos adito, unà cum nostro Micalo. Sum enim tui cupidiß. & expectant te lignea nostra regna, & cartacea prælia.

Et tibi fœlicem Ianus pater inchoet annum,
Ad nos si cupide mi Ioachime uenis.

Socio uenire sed memento Mycalo,
Nobiscum ut hic sit tertius.

Nos hispana tibi ponemus uina rubentes
Inter coacta pampinos.
Sed mihi pro sancto nunc spirat Apolline Ianus,
Quem si uidere uis ueni.

Tuus Eoban.

Ioachimo Camerario amico summo
suo S.


HAbes mi Ioachime quod petijsti iamdudum, minime tamen elaboratum carmen. Hoc officium non tam sero præstaretur, nisi fuissem oblitus pollicitum me fuisse hoc tibi. Itaq; tua culpa factum censebis, qui non admo-

admonueris alioqui in hoc genere lassum, & procrasti natorem maximum. Quem cum tam raro nunc adeas, ecquid metuis ne hunc tui quoq; ipsius capiat obliuio. Non inquis: Et recte. Sui enim cum poterit obliuisci poterit, & tui. Si placet extemporalitas hæc, bene est. Sin minus, præscribe argumentum, non grauabor tua causa uel milies retractare.

Si uitam redimit uirtus post fata superstes,
  Si mortem uicijs obruta uita facit,
Viuit Ioannes Schuartzpergæ gloria gentis,
  Cuius in hoc tumulo corporis umbra iacet.
Ille renascenti fauit pietatis honori,
  Consilio atq; armis maximus ille fuit.
Exuit alta senex diuturnæ tædia uitæ,
  Cœlo animam moriens, ossa remisit humo.

Ego mi Ioachime de tuis maxime sermonibus honorifica memoria prosequor hunc heroa nostræ gentis. Sed cessat ne filius ipsius in ornando patre? An probabitur hoc illi studium nostrum. Nunquam huc uenisse audio eum ad decumbentem patrem, si non potuit, ueniam meretur. Si noluit, nihil dicam amplius, ipse uiderit. Quid uero noster Simichides, ô Ioachime noster. Ecquid placent postrema ista, Dioscuri, et Erastes. καὶ συνεργέ.

O mi



O mihi Simichides fatalia carmina Musæ,
Quando ego præcipites uos in Alenta dabo?
Quando ego uos miseras in Norica flumina mergam?
Consule nunc miseris, qui Ioachime potes.

Sed consulere te & consuluisse ais, admota ut inuocem Dei auxilium manu. Ita igitur faciam, nam et meorum pastorum unus hoc subijcit θαῤῥεῖν χρή. Vale.

Tuus Hessus.

EOBANVS HESS. IOACHIMO Camerario amico cariß. S. D.

NOn homo essem mi Ioachime, si non tuo iustißimo dolori ignoscerem, non amicus etiàm, si non unà tecum tristicia afficerer. Quo autem maior est innocentia fratris tui opt. & integerrimi, eo casus hic grauior & indignior existimandus. Neq; ego nunc hoc ad te consolandum afferam, non illi istud soli. Sed fatebor potius nullo exemplo iuris aut humanitatis circumuentum et euersum esse eum ab ijs, à quibus minime oportuit. Sed tu tamen nihilo minus, desine non mollium, sed nimis fortium tandem querelarum, nec te & nos amicos querelis exanima tuis. Nihil enim hoc illi profuerit. Erit, crede mihi exitus multo lætior, quàm tu metuere uideris. Quod si aduersa fortuna etiam uos præmere pergat, Quantum in hoc esse censes? quod & ille insons

sons fidelitatis suæ hoc præmium fert, uim et iniuriam, & qui ita crudeles in eum sunt ac fuerunt, maiora tormenta comparant suis animis, conscientiæ stimulos, quàm ille patitur corpore & fortunis suis, quibus atrocißima certe plaga inflicta est. Nescio quid scribam præterea, & omnino plura scribenda esse non arbitror. Etiam iudico spacium relinquendum tibi, quo decurso ista perturbatio aliquantulum acquiescat. Dies enim dicitur adimere ægritudinem. Impetret hoc ratio inquit Cicero tuus, immò noster. Sed ego tantum oneris tibi non impono, & molliore brachio tractare uolo tuum uulnus, & concedere tibi tempus quo dedoleas, & te confirmes, etsi spero potius id futurum esse, ut dolendi omnis occasio tibi eripiatur:

Hoc precor, hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

Velim, si uideatur, ad me uenias, aut ego ad te. Ibimus prodeambulatum, ut inter gradiendum & confabulandum aberrent aliquantulum dolorificæ cogitationes, neque perpetuo premant cor tuum. Sed permitto omnia arbitrio tuo. Sunt quidem de quibus tecum loqui cupio, sed me tibi parcere certum est, Vale & bonum habe animum. Nullum est neq; bonum neq; malum perpetuum. Iterum uale.

Ioachimo Camerario amico ſuo cariſsimo S.

ET te dolere, & nimis magnas ac iuſtas habere dolendi cauſſas, mi Ioachime, uehementer doleo, atq; utinam poſſem præſtare aliquid præter doloris ſocietatem. Quod autem neq; te ita eſſe fractum animo ſcribis, quin ſtudijs noſtris nunc etiam incumbas, & ſi quid uelim quod tu poßis perficere, iubes audacter me petere, primum lætor, & tibi gratulor hanc firmitatem animi, deinde gratias habeo, cum mihi hoc tuo durißimo tempore tamen te uacare uelle oſtendis. Neque tu ad leniendum dolorem tuum quicquam reperies efficacius quàm occupatiões litteratas, ſiue legas ſeu ſcribas aliquid, ſeu etiam cum altero de communibus ſtudijs colloquaris. Sed hæc moneo minime ignarum te. Nunc igitur hoc reſtat, ut mittam ad tuam recognitionem operas ſtudij & laboris triduani. Tu facies quod expecto, ut moneas libere, ſubijcias fideliter, & adiuues amanter, me ingreſſum hunc curſum, Ioachimo uno duce & auſpice noſtro, Vale.

Eobanus tuus.

Ioachimo Camerario amiciß. amico ſuo. S. D.

MOdo mihi indicatum fuit, te eſſe ad nos reuerſum, & nobis omnia de te,

Quæ

Quærere si nescis, maxima cura fuit.

Vtinam uero ita de illo conuentu sociorum defendendæ Reip. redieris, ut ea perfecta sint, quæ maxime cupis. Hoc me igitur scire oportet. Ego ne igitur istuc accurro, uel aduolo quamuis uesperi? Ad cœnam uis. inquis? Siquidem iubes. Vide quantum permittam tibi, ut potestatem faciam iubendi, immo licet imperes, facile autē est imperium in bonis, ut ait tuus Plautus. Quod si tu huc mauis ad nos in regiam uenire:

Pulpa tibi dabitur teneri de carminibus idrut,
Pectora & accedent loripedis Sitana.
Vinaq; uicino fundam caupone petita.
Quæ tibi si sordent, tu meliora feres.

Sed puto de equo modo qui descenderis, te neque ad me uenturum esse, neq; ualde expetere meam salutationem. Valebis igitur in hanc uesperam, & cum tuis te oblectabis. Nos tamen cras recte te, ut opinor, conuenerimus. Vale.

T. Hessus.

H. EOBANVS HESSVS, AONIVS, Pierius, Bachicus Po. Max. Cons. innumerabiliter, Ioachimo quæstori suo S.

Auctum me titulo lætari debes. Et ut hoc facere te sciam uenire statim in regiā, ad consessum honestiss. consilij præsidū et comitum nostrorū. Bacho enim

suimus

ſumus potiti tandem, & hunc in noſtrum carcerem con iecimus, quod tu uix nunquam futurum eſſe audebas metuere. Sed tibi ignoſcimus, & participem nihilo minus ſucceſſus noſtri eſſe cupimus. Quibus autem auxilijs uſus, & qua arte quaq; uirtute hunc in poteſtatem meam redegerim, coram audies. Nunc ſcire te hoc tantum uolo, In tua patria totum ϛρατήγημα natum, & ibi à noſtris ducibus rem geſtam eſſe. Non uolui triumphare, non enim hoſtem ſed ciuem uiceram. Sed iocorum in literis ſatis, cætera igitur coram, Vale.

Eobanus Heſſ. Ioachimo ſuo S.

MAgnopere mirabiliterq; & incredibilem in modum mihi placuerunt uerſus, quorum nudiuſtertius mentionem in conuiuio feciſti. Ideoq; heri nihil aliud in animo fuit, niſi iſtorum uerſuum ſententia. Præſertim cum ſentirem ueram eſſe. Quare & tu peramanter feciſti cum deſcriptos hos ad me miſiſti, et ego nunc quoq; derideo illum ſobrietatis oſtentatorem, qui toties aquam petebat, ut miſceret nō miſcenda. Quantum aūt illi mihi uerſus, uel id potius quod commemorant, arriſerit, ex eo conijcere poteris quod epigramma ſecundum hos ſtatim luſimus, quod tibi mitto, non ut te delectet elegantia, ſed ut intelligas quam uehementer excitarit ſtudium meum tuus feſtiuiſſimus iocus, & uenuſtas Græcorum uerſuum.

Nulla

Nulla merum ponunt conuiuia, quid petis undas?
Quam daret hæc caupo miscuit ante tibi.
Et cauponem etiam uector tibi micuit ante,
Fundis aquam tamen, hæc iam mera fiet aqua.
At mihi prospiciens caupo tenuiq; cerebro,
Crapula ne lædat debile crebra caput,
Non cupidus lucri, uinum sic uendit, ut omni
Perpetuo carecam suspicione meri.

Et est ut ascribis Græcorum uersuum autor Alexis. *Iam istum* Alexin *plus amo, quam quondam ille Formosum pastor* Corydon *ardebat* Alexin.

Sed heus tu ista tibi benignitas damno futura est. Non enim desinam flagitare, ut plura talia de tuo Athenæo nobis promas. Quem *iam animaduerto ab ijs uario modo compilatum esse, qui paulo ante in maxima opinione fuerunt doctrinæ, cœlios istos & his similes dico.* Habeo *autem* ἴυγγα *uersiones meas, quas quia tu tanti facis, uel certe simulas facere, ego affatim tibi obtrudam, ut tu studiosior sis in ijs communicandis quæ uertere possim, & quæ cupide uertere soleo.* Sed *de his satis.* Relinquendum *enim aliquid est etiam colloquijs nostris.* Quando *uenies autem?* Hodie *ne immò iamne statim?* Domi *sum, & ero, hoc igitur satis.* Vale.

I perge, uade, curre,
Ioachimo dic salutem
Iocosa charta nostro
Statimq; lecta flammis

 Peri

Peri, necesse cura

Diutius superstes.

In foribus stantes Musarum quid sit amantes,

Scribere dic nobis commemorabiliter.

Infantes nantes, titubantes ante gigantes,

Peste laborantes immedicabiliter.

Quid sit regnantes Corybantes esse rogantes

Sed non plorantes irreparabiliter

Errantes, flantes, balantes luxuriantes,

Somnia narrantes sollicitabiliter.

In sinibus nantes, tractantes monstra fricantes,

Fulmina spirantes oßiculabiliter.

Quid faciant dantes, Incendia tanta parantes,

In te bachantes immedicabiliter?

An quia luctantes conantes belligerantes,

Sunt caupon antes insociabiliter?

Commensurantes perarantes conduplicantes.

Sunt tibi sudantes insuperabiliter

Desere nigrantes petulanter uisiculantes,

Gaudia furantes illachrimabiliter.

Incipe uictorem mirari semper amorem.

Spargit enim rorem quem populanter apes.

Incipe nectareos confundere cum sue ceruos,

Iam sedet in uiridi blanda Megæra lacu.

Saltat ab hydropica recutitus arundine Mentor,

Quis mihi det cultros doctor Homere tuos?

Non

Non ego cum Phrygijs pereuntia Scamna phaselis,
Non ego degeneri pro Ioue fulmen edam.
Ah pereat crassum quicunq; comedit Osirim,
Non erat in nobis tam metuendus olor
Quid si Pierides Papam populentur arenæ,
Nesciat Argolicas Roma supina dapes.
Desine lactiuomas mea serra perungere lanas.
Est satis in curuos ædita flamma boues.
Iamq; uale uolucris Ioachime Poëta Cylindri.
Et manda catulis somnia nostra tuis.

Ioachimo Camerario suo Eobanus Hessus S.

SIc tibi sint faciles, ut sunt in carmina Musæ,
Sic Cytharæ neruis cædat Apollo tuæ.
Sic habeant, ut habent, Charites tua pectora nudæ,
Sic tibi perpetuo constet amica Venus.
Sic tibi quicquid habet locuples fortuna bonorum,
Tandem non uaria conferat omne manu.
Si Ioachime meas non ire graueris ad ædes,
Hoc tibi & arripias quando uacabit iter.
Nec proprijs studijs mea te curare relictis,
Sed peto quod uacui temporis esse potest.
Nec tam sæpe domi te conuenisse decebat,
Curarum præstat iam satis illa tibi.
Et cupio & nequeo te conuenisse frequenter,
Hic animus cura fluctuat ambigua.

Ἐωβανὸς ὁ ἐσσὴν Ἰωχείμῳ μελίσσῳ.

Ἀμβροτον οὐρανόμηκες ἄγων ἔξαρμα λυκούργου
ὑψιβρεμὴς σκαλμοῦ κατιδὼν μένος ἀλλοπρόσαλλον
νῶτα παρὰ μοιρχίδαο ποτώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα
υἱός ἐπ' εἰαρινοῦ μεγαλώνυμον ἄνθος ἰούλου

Si tu potes uenito,
Si non potes maneto,
Immo ueni to, siue
Potes uenire, seu non.
Nullo & modo maneto.
Quod si non sapiat muliebria sceptra Michaël,
Discat cum fatuis currere Theologis
Sed uenit, & cancros rapit ipsa Minerua disertos,
Dic mihi quid faciant cum Cicerone sues?
Præmia sic currunt capientes flaua Gigantes
Quid faciunt asini, quando Menechmus arat:
Testibus Muscis omnibus in regia.

Ioachimo suo Eobanus S.

Tibi placere nostra scripta non miror,
Quamuis inepta nec sat elaborata
Sicut tui testes fuere Scazontes,
Heri mihi quos Ioachime misisti
Tibi cum & ipse displicere non poßim

Quamuis

Quamuis ineptus & parum elaboratus,
Vitaq; & eruditione quæ poßit
Existimationibus tuis de me
Vlla satis quidem ratione fecisse.
Nunc ergo postquam cuncta nostra sic laudas,
Vt pene mireris, quid esse tu credas?
Et esse quanti rere, si quod est usquam
Ad te meorum uersuum, tuorum ad me.
Huc adde quicquid hac in urbe perscriptum
Nobis utrisq; sed nec est euulgatum
Nunc colligamus atq; tandem euulgemus.
Ne crescat ingens interim domi nobis
Aceruus ille, & illa turba nugarum,
Non compræhendi poßit amplius, nec nos
Decet silere Seriphias uti ranas,
Et esse mutos, atq; non ineptire
In hijs ineptis temporum cataclysmis.
Nunc est parata nostra mens in hoc ergo,
Labori ut instet huic, ut hocq; conetur,
Quando parum expedire Simichidas Musas
Licet, quid ipse sentias, uel asscribes,
Vel nos uti deliberemus, accedes.

Ioachimo suo Eobanus S.

Ligneа sculptilium lusurus prælia regum
Regibus ut ueris congrediare ueni.

Sed ne forte graui non sit satis una duello
Hora, satur nondum uel modo pastus ades.

Ioachimo Camerario nostro S.

Quod heri non rogatus offerebas, hodie rogatus dabis, id autem sponte oblatum recusaui, ideo ut rogato plus deberem. Vale.

Tuus Hessus.

Ioachimo Camerario nostro S.

Ecce somniator uenit. Hæc uerba scribuntur originaliter Genes. 37. cap. mysticè uerò & intellectualiter ad te referri possunt, qui somnias nihil nisi aurea somnia, quia totus es aureus, & omnia facis aurea, qui me quoq; facis aureum, Nam & Saturnus pater est aurei seculi, à cuius filio tuum somnium est, τὸ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι. Deliberabam extra iocum, heri tuo somnio gratulari carmine aliquo, ita arrisit modis omnibus. Sed rapiebar aliò, et nunc impedior. Sed uere mi somniator somniũ quod uidisti, simile est illi quod uidit Philippus de Olympiade uxore, cũ iam haberet Alexãdrum intra uiscera, tu dedisti aureũ torquem uxori, an hic dubitare potes, quid hoc sibi uelit somnium, quære nunc ariolos, consule tuum Aristotelem, ut aliquam tibi ἑρμηνείαν afferat, nihil restare uideo, nisi ut hoc aureã

somnium

somniū post nos quoq; inauretur. Itaq; iā nihil amplius de somnio. Quid hoc sibi uult quod scribis nihil à te mi nusqnàm tales meas literas expectasse: Quales fuerunt igitur? an non satis amicæ? Credo fuisse molestas tibi, nā & tales amici quoq; sumus nonnunquam, tibi tamē esse nos non debemus, præsertim tam amice scribentes, sed hæc abducunt nos, unde minime uolo, de quibus qua re nihil somnias? Sanè ego quò magis dormio, eò mi nus illa intelligo. Et quò magis te consulo, eò plus tu somniorum mihi obijcis. Recte igitur dicebā. Ecce som niator uenit, quamuis non eram occisurus te aut uendi turus in Aegyptū mi somniator. Spero enim de illis no stris rebus te mihi breui somniaturū esse, quod poßim melius, quàm aliquem torquem aureum interpretari. Vale cum tua aurea coniuge, & somnia multos aureos torques, an uerò oblitus es quod nos prædiximus con tingant uobis Pythij prædiuitis umbræ? quantum ab est tamen aureus torques ab aurea Platano? Sed & hæc aliàs.

Tuus Ioseph.

Ioachimo nostro S.

CRedo te urbano parū indigere Ioachime, quo ne que ego ualde indigeo quia minus utor. Sed tamē si uidetur tibi è repub. regni, remitte Regi nunc etiam grammatica ἀναμιμνησκομένῳ, in ciuilem istum urba num, Heus tu quanti putes emi posse nunc τοῦ ἀγάτε

ταφαι νόμενα cum Nicandri Theriacis? Illum librum ego emi heri, etsi ab alio id pecuniæ mutuare me oportuit, In hac regni nostri opulentia, uideor ne tibi insanire qui sic emam. Piscis nostri ne obliuiscaris, sed fac ut conditum remittas uale.

T. Rex.

Ioachimo Camerario amico charißimo suo. Eobanus Heß.

FErcula non magni uisurus magna Poëtæ,
Huc satur à cœna mi Ioachime ueni.
Nam nisi uentre uenis læto, non lætus abibis,
Ni saturum faciant carmina, uerba, ioci,
Sed sicut pepulisse uelim ieiunia uentris,
Sic te aliquam nolim non habuisse sitim.

Ioachimo suo Eobanus.

NOndum constituo quid esse dicam,
Aut quid suspicer accidisse causæ:
Quod nostras minus aduolas in ædes,
O non inter aues inauspicatas,
Aut inter numerande nidulantes
In terra, sed ad astra porrigentum
Sedes & capita arborum colentes,
An postquam tibi coniugis pudicæ

Amplex

Amplexus rediere delibati
Nudarum sale, melle gratiarum,
Nos contemnis? & incipis tuarum
Obliuiscier institutionum,
Et morum quibus ante praeualebas
Ipsarum charitum suauitati?

Ioachimo Camerario suo Eobanus S.

SAturnalitijs quid agam Ioachime diebus,
Te uere digna simplicitate rogas.
Dum totis plebea sonant spectacla theatris,
Dum Bromius tota regnat in urbe pater.
Mutua dum celebrant laeti conuiuia amici,
Dum minimum tota quisquis in urbe sapit,
Cum me nemo uocet, nemo me accedat amicus,
Cum spernant omnes, quos ego semper amo.
Quid faciam potius quàm solus inertia tractem
Quae studia in uacua sunt mihi sola domo?
Nam quis ut in tali populo dignetur amicum,
Qui nimis istarum non sit amicus opum?
Quis nam tali inopem dignetur honore Poëtam,
Qui nisi Musarum commoda nulla ferat?
Atq; ea Musarum quis amet iam commoda quando,
Contemnunt etiam quos adamasse putes?
Haec mihi causa fuit laetis Ioachime diebus,
In uacua moestum me tenuisse domo.

Qui scis quàm soleam gaudere sodalibus illis
Qui mea non ægre libera uerba ferant.
Quanquam hæc ipsa suos nouit sibi ponere fines,
Si qua mihi est animi, libera simplicitas.
Nunc tamen hoc mirum poterat Ioachime uideri,
In tanto populo posse latere aliquem.
Præcipue dum nemo latet, dum læta laborum
Pectora lætitia concutiente strepunt.
Hoc urbs tam populosa uiris mihi tempore facta,
Desolata uiris sicut Eremus erat.

Dicerem hoc carmen ex tempore scriptum, nisi puderet me Erasmicum fieri, sed cito succedit quicquid ex animo succedit.

Ioachimo Camerario Melico suauißimo
suo S.

TAnquam ego somniorum interpres sim, ita ad me decurritur, ab his quibus quicquid in mentem uenit, statim uidetur euulgandum typis publicis. Mihi uero nauseam fecit eius rei nuper tuus σανιδοχιδῆς, ut inepte appellem scriptorem profecto ineptum, & hic quis est depilator, & fucus semilatinus? an tu nosti? Mitto ad te eius miscellanea, ut uideas, nisi mauis iudicare. Nam ego quidem hic caput sine ligua agere constitui, & tamen quo molestum interpellatorem execu-tiam, hic mihi, da consilium mi Ioachime. Mihi uenit in mentem illius nostri.

Quis ferat? utq; ferat, quis iam non rideat omnes
Grammaticis plenas uilibus esse scholas?

Atqui nos nihil docemus, neq; grammatice neq; rhetorice neq; poëtice, neq; historice, neq; theologice, neq; dialectice: In summa neq; latine neq; græce, ubi istis tam præclare cedunt sua somnia, & quid opus erat accersere nos?

Cum tam præsentes habeant hæc mœnia diuos,
Vt queat his credi nata Minerua locis.

Non tamen hæc ideo scribo, ut damnem ullo pacto diligentiam studiosi huius quisquis est. Sed quod mihi minime uideatur necesse esse iterum ac toties edi, quæ iam partim uulgata sunt, partim ridicula. Tuum tamen consilium expecto,

Nunquid & hic triuijs poßit nouus author haberi,
Quo sine sint nostræ somnia uana scholæ
Vbi uerò farcimina & λαίβεακες? Sed uale.

Ioachimo Qu. Viro doctiß. amico summo suo S.

Consilium à te peto Ioachime, quod ut simpliciter peto, sic rogo ut des, quia missurus Idyllia mea sum Secerio, consulas mihi, dedicē ne ea alicui, an potius nulli. Si tibi uideantur alicui dedicanda, cui? ego præter consuetudinem horum temporum nulli uellem, si hoc simpliciter quod sentio faciendum sit. Sed quoniam dandum & nonnihil est consuetudini, serio

rogo consulas, cui ex bonis inscribantur, Bilibaldo ne en Philippo, an tibi? Horum enim uni certo stat sententia, uel nulli inscribere, idq; non epistolio ut nunc fit, sed carmine. Nihil est uerò quod principem mihi hunc uel illum commemores, cum in aula nihil fere sit Musis odiosius, & Morionibus ac parasitis quibusuis multo pateant facilius principum plærorumq; regiæ quàm Poëtis. Vides quid abs te petam, quod si expedis tuo consilio contentus, non ero deinceps molestus tibi consultator, in hac potiß. re quæ non mediocriter me solicitum tenet. Vale ex arce nostra.

Tuus Hessus.

Ioachimo uiro doctißimo suo S.

SI tu non ignoras Ioachime, quo in loco sint res fratris tui, cur heri roganti mihi quod egisses non indicabas? Fui enim certe toto hoc iniquo tuo tempore, non minus quàm ipse tu de fratris tui salute propter te anxius. Si uerò ignoras en tibi certum nuncium apud me domi, quo nomine sanè sic ego sum gauisus, ut totus gestiam, & si conditiones & iniquas & recusandas obtrusas illi audio. Vt ut est melior est hæc fortuna quàm illa altera, & ego gaudeo eo te leuatum onere, ut poßis tandem liberius nobiscum agere. Nunc enim ego te exercebo, non tam latrocinando, quàm, si dijs placet, græcando, atq; etiam ne ista nobis uita pereat,

utq;

utq; ſtudium ἑλληνισμοῦ noſtrum appareat peregrinando. Sed alias iocabimur. Si potes oro hodie nos conuenito, opus eſt nobis conſilio tuo in re ardua, hoc eſt plane Regia. Vale βασιλικοτάτως ἐκ τῶν βασιλέων.

Elegantiſsimis tuis Hendecaſyllabis alias reſpondebimus. Tuus Heſſus.

Ioachimo Camerario amico chariſsimo ſuo. S.

Non ſum neſcius chariſsime Ioachime, nouo te dolore ex morte Chariſs. patris his diebus affici, quem equidem ut ego ſcribendo in memoriam reuocare tibi nolim, ita cogites uelim, hæc omnia quæ hoc ferè biennio toto parum proſpera tibi acciderunt, talia eſſe, ut homini, quemadmodum poſſunt plura & peiora accidere, ita ferenda ſint, præſertim erudito & multa humanarum calamitatum miſeriarumq; exempla tenenti. Itaq; conſolatione te non egere certo ſcio, cum ipſe tibi pulcherrima ſis conſolatio, ſi modo tua bona noris, & iſta mala quæ nonnihil te premunt, ad Critolai libram expendas. Tamen ut ad noſtra ſtudia te reuocem, iſta res in cauſa fuit, quo minus his diebus ineptias meas ad te mittere uoluerim, ueritus ne importuna diligentia alioqui propenſum in me tuum animum offenderem. Nunc cum credam dolorem tibi illum non-

nihil emollitum esse, mitto quod uides, quod quamuis tu qua moderatione es, uix fassurus esse uideare, tamen mecum tibi commune esse dicam. Id rogo, si quando uacabit, peruideas. Non enim urgeo ut statim remittas. Ego enim interim aliud quiddam agam. Vale, & memineris uirum esse te, qui ad alia omnia animum habeas inuictum.

Tuus Hessus.

Ioachimo Camerario amicißimo suo S.

EGo uerò mi Ioachime frequenter tibi molestus sum, in re tamen opinor non undiquaq; pudenda, tu uerò rarius mecũ uersaris, quàm uel sperarim ego, uel utriusq; conducat studijs, qui & à mea qualicunq; facultate, nihil enim dicam amplius, & doctrina mediocri tibi, & tua ope, tuaq; in me incomparabili benignitate multum fructus accessurum mihi promiseram, nec id omnino falsò, Sed mihi nequaquam satis fit, alterum iam annum in amicitia tua hærenti. Atq; ut opinor incommoda multa sunt, quæ utrunq; impediant. Te præter fortunæ fratris aduersum casum, res etiam & curæ domesticæ, me ista quoq; quæ tibi ad me diuertenti parum idonea studijs uideri possunt, cõclaue angustum, et numerosiores quàm pro re familia circunstrepentes in angulis liberi. Esto uero hæc ita se habeant, non sum

tam

tam impudens, qui uel cum tuarum rerum iactura mihi inseruire, uel ad meas sordes dimittere te cupiã, aliquantulum saltem temporis suffurari poteramus, quod communibus studijs destinaretur. Nec hoc postulabo, ut ipse me adeas (uide in hac cupiditate mea quo me demittam) modo integrum sit mihi, et liceat in tuas ædes ingenij cultum petentem ingredi, quamuis licere nihil dubito, sed uideo circa te nonnunquam amicorũ greges, cum quibus parũ mihi conueniat, quod ad mores attinet & studia. Quid multa? pudet me, tantum iam temporis tali pacto nos unà uersari. Qua fronte, si aliquando id contingat, Philippum aspiciemus, qui serio mandauit, ut non modo uterq; nostrum alterius familiaritate, sed opera, studio, ope deniq; omni uteretur. Non, ut credo, te iuuenem à me pudeat discere aliquid. Me quidem minime pudebit, te habere autorem & magistrum Græcarum litterarum. Memini enim puer cum esses, quanta cum laude & admiratione senum in huius linguæ non modo studio, sed etiam doctrina uersatus sis. Mihi si ad perdiscendum occasionem ocium, tempus defuisse dicã, quis cũ uera dicere cognouerit, non ueniã mihi det. Nulla est ætas ad discendũ non idonea, neq; ego tamen adhuc ea sum ætate, quã Catonem easdem literas didicisse legimus. Hæc cura dies noctesq; angit animum meum Ioachime, ne existimes hæc nunc à me animi quodã uitio aut leuitate ad te scribi, ex quibus paucis intelligere te uolo immensam esse hanc in me cupiditatem,

quam tu tamen admodum breui indulgentia queas explere. Vale.

Tuus Hessus.

Ioachimo Camerario amico Charißimo suo S.

CRedere non potes Ioachime, quàm mihi gratum feceris de ijs, quæ tu utinam uere uoces meas delitias. Cum alia tamen consensio iudicij nostri, tum similitudo rationum ac cogitationum nostrarum, ualde me delectauit. Ego nunc hoc me facturum constitui, ut huius Poëtæ ποιημάτια, uel ut alij appellare maluerunt, εἰδύλλια in Latinos uersus trasferam, in hoc nulli studio, nulli diligentiæ parsurus sum. Ad quem conatum & laborem te socium & adiutorem assumam. Quantum enim communicatio sententiarum et iudicij addam etiam operæ ac studij, ad laudem eruditionis momenti afferat, te non fugit. Quod & sapientißimi ueteres uiderunt, cum tantum tribuerunt recitationibus. Et noster Cicero præclare & hoc scripsit, quæ literis mandentur, ea omnium eruditorum lectione commendari decere. Cum igitur fortuna uel Deus propitius nos coniunxerit, cur ego non uterer optatiß. illa mihi & pulcherrima occasione.

Ne sine riuali meq; & mea solus amarem.

Nihil moror quorumcunq; sermones. Tu modo, ut facis, te præsta constanter ad omne

Inde-

Indeclinatæ munus amicitiæ.

Ego tibi uicißim totis regni nostri opibus, quas te non contemnere scio, inseruire sum paratißimus. Atque etiam, si hoc expectas, siq; me posse perficere existimas, meis monumentis ad posteros testata relinquam coniunctionis nostræ & amoris exempla. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO AMIco charißimo suo S.

INstar libelli mihi est tuum epistolium, eritq; incitabulum hoc non mediocre ad prosequendum: quod eo quo possum studio nuper cœpi facere. Sed caue putes te statim iam quasi pronunciata sententia functum esse partibus in iudicando de nobis studijsq; nostris, tuis. Nam etsi aliena te nunc abripiunt negotia, exercebimus tamen & nos, sed non omnino intempestiuiter, ut intelligas errasse te cum talem amicum legisti. Sed hæc aliàs, quid enim attinet ad te hæc latius, cui, intus quod dicitur & extra, satis notus sum. Ne hoc uesperi ociosus sis, mitto tibi negotium bidui inter me & Obsopæū ob Homerum conflatum, sed amicum & quod ridere poßis. Quid autem ego dico ob Homerum? Sed quia mitto literas, & quas ego primum scripsi, nam studiosè quod alioqui non soleo earum exemplum retinui, & quibus ipse respondit, & quæ ego adhuc missurus bre

ues quidem. Nolo enim illi ad omnia, uideor commouisse hominem, sed facilis erit placatio ἀκεσαὶ τοι φρένες ἐσθλῶν. Tibi autē quæ dico, mihi ipsi dico, ideoq; scripsi neminem præter me scire ea quæ scripseram, idque ut tum fuit, sic nunc quoq; uerum est. Non possum uerò pati, te nescire quid egerim, quem antequam scriberem, consulere uolebam, si conuenire potuissem. Habes itaq; pro tuo officio erga me immortali, fabulā hanc heri mihi domi meæ natam, ut ea interim, ceu Morione utaris hoc uesperi. Cras uelim, si queas, me conuenias, non iubeo tamen. Video enim parere te, etiam si tibi sit incommodum, nolim uerò incommodare tibi. Casu accidisse credo, quòd eam epistolam quæ adhuc mittenda est, non transmiserim, quia puerum non habebam, ut prius tu legeres. Verum & de hoc satis. De Theocrito ante ad te scripsi. Bene preceris nobis, soluimus enim admodum confidenter, idq; quo longius prouehimur studio nostro, eò magis experimur. Literas quas obsignatas mitto, resignato. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO amico chariſsimo suo S.

Me uerò multum pœnitet abiisse heri in aucupiū, in quo præter crurū laßitudinem nihil aucupatus sum, meliores omnino cepissem auiculas, si domi me inuenisses, quibus ego etsi toto ocliduo diligenter sum in sidia-

ſidiatus, nondum tamen potior, exceptis paucis plumulis, quas auolantes quaſi relinquūt iſtæ σιμιχίδες, alioqui auſpicatiſsimæ uolucres. Interim uerò dum in iſto aucupio ego ſum, tu uelut miſertus non poteras caperè tam delicatas auiculas? Gallos & Menippos & omnes Lucianicas aues nobis obijcis, ut uidelicet (niſi non hic quoq; uerus ſum animi tui, ac nuper in ſomnio interpres) quia minutas iſtas, ac ſemper fugitantes capere non poſſum, has interim grandiuſculas, & tardius uolantes conſecter, ſi quo modo quid iſtarum depræhendam. Parebo igitur officioſe & utiliter monenti, & iſtas Lucianicas aues aggrediar, ex quibus ſi nullam aliam certe illum noſtrum, cum βασιλικῶς φαμὲν, ὁμώνυμον capiā, qui & ipſe tametſi iamdudum Sophiſtarū beneficio habet pennas & uolat, tamen quia quadrupes eſt, & frequētius in terra uerſatur, quàm in aëre, alicubi me ſpero deprænhenſurū uel incautū. Secerio magnas gratias & habeo et agam, cuius liberalitate hoc aucupiū nobis eſt oblatū, per quod tota hac hyeme pinguiſsimis auiculis ueſcemur. Habes de aucupio noſtro, quo ut nobiſcū utare, te rogo, ſine te enim aues iſtæ inſipidæ ſunt, et non ita multū faciunt ad palatum, etſi ualde famelicus ſum, ſed non Femelius, qui tamē ſi eſſem, etiam iſtas auiculas ſine te eſſem, ego uerò malo ὄνος ἔναι, etiam ſi non aureus. Heſternam tuam pluſquam ſemigræcam Epiſtolam, αἰνιγματώδη dicam an τερατώδη, non intelligo, cui ſi reſpōderi uis, mitte

per tuum Aristotelem τὴν ἑρμηνείαν aliquam, sed latine scriptam. Sed opinor responderi tibi non uis, alioqui scriberes uel uernaculo nostro regio οὐβουστροφηδόν sed συμβαβουστροφηδόν, & ego rescriberē ne omnino nihil ἑλληνίζοντα me posse existimares. Sed satis ineptiarum. Hodie non erimus in aucupio, & quia uxorem, ut existimo domi nō habes, fieri ne posse putas, ut conueniamus, dicturi de hesterno aucupio, in quo plus multo cœpi, quàm deuorare mille cœnis possim. Itaq; quoniam istarum auicularum tu uultur es & aquila, ueníes & uorabis quantum uoles, tantum uerò uelle debebis, quantum quo totum me conspuas, satis esse putabis. Vale mi uultur & salue. Ex area nostri aucupij mane, cum nullam adhuc auiculam cœpissem. Vigilia ac ificatoris Genij. M. D. XXVII.

Tuus Hessus auceps.

IOACHIMO CAMERARIO, Q. V. amicorum summo suo S.

AGo tibi pro officio tuo gratias mi Ioachime. Sed nunquid nuper tibi dixi ne talibus perfugijs uterere? Nihil tibi mea opera opus. Et potes ipse omnia. Nam sit ita sanè, quod haud scio an aliter se habeat, tamen quid in communicatione iudiciorū atq; rationum boni sit te non fugit, quare, neq; te pudeat de tuis ad me referre, neq; me pudebit de meis ad te ταχ=

φύτερος

ὥτερος ἄλλον ὀνασεῖ ut ait Theocritus noster, de quo uersionis meæ fœturam tibi mitto. Ad priora quæ respondisti mihi gratißima fuerunt, quo loco autem culinæ meminisse iubes, statim animaduerti iterum me in illud incidisse quod anno superiore uix deprecatus fueram. Deum immortalem si iterum aliquo tali deprehendar, quantas ille nobis effuderit offas. Sed nihil est periculi, quando non tam sumus impudētes, ut ista iam cogitemus ædere quæ nunc in hoc genere adhuc temere magis quàm feliciter tentamus, magis quàm perficimus. Ego octiduū penè totum, sic uagor, ut nūsquam consistam, & uere.

Rem peragit nullam tuus Helius incipit omnes,

Verum hæc satis. Quando uerò transmittitur Idylliorū dedicatio? quamuis cui inscribantur, nondum constet. Quid si sic scribamus? Cum tua non uno uirtus Bilibalde feratur, aut Spenglere, aut Ioachime, aut (sed cœptam præstat concludere chartam) Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO NOSTRO.

Mitto carmen hoc tibi mi Ioachime, de quo heri dicebam, hoc tu uideas & legas, indicesq; quid uel probes in eo uel improbes. Interim tamen diuina hoc nomen, quod tamen adhuc incertum mihi est, in quam partem maxime te mihi uelim consulere. Cras

ipse ad te ueniam, si domi eris ante prandium. Itaq; cogita hac nocte de ista tam solenni dedicatione. Credo suadebis ut alicui episcopo, nempe pastori, pastores istos dedicem. Facerem, fortasse nisi istos plerosq; tam lupos esse quidam dicerent. Sed si nihil certi statuere poterimus, optimae matronae posteritati istas uigilias inscribemus, facile enim hoc carmen immutabimus. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO
amico suo, Eob. S.

AD desueta tuo monitu Ioachime reuersum
Ne studia auxilio deseruisse uelis.
Nam pungens equiti quid erat dare calcar, & ipsum
Subtrahere ostensum quo ueheretur equum?
Rectius ignaui fouisses ocia, quàm si
Te duce currentis nunc remorere pedes.
Nam qui deseritur, citius desperat in acto
Quàm qui non aliqua parte peregit opus.

Nulla nunc tibi re molestus essem,
Si scirem fieri tibi molestum,
Quem nunc mando tibi breuem laborem,
Breuem sed tibi, sed mihi laborem
Immensum sine te & laboriosum.

Quare mi Ioachime, ne laborem
Dum subterfugis hunc, mihi laborem
Iniungas nimium laboriosum.
Vel, quod sit potius statim futurum,
Tollas quem male cœpimus laborem.

IOACHIMO CAMERARIO
Philosopho amico suo S.

Non miror iã in Aristotele esse te, qui toto hoc biennio uix unquam fuisti in te ipso, itaq; & αἰνίγματα hoc in genere scribere ad eum qui uix simplicia & plana intelligeret, multo minus mirum, cum & illud genus habeas plusquam domesticum & nos latere uelis, nisi forte teipsum nobis commendas, ob idq; usus es nouo, ut ait Cicero, literarum genere, quamuis hoc iam non est nouum, nec mihi legenti nec scribenti tibi, quanquam, si tam feliciter ego legerem quàm scribis tu: Sed nos aliud agimus. In quo possim me

Tollere humo uictorq; uirum uolitare per ora.
ἀλλ' αὐτὸ δείξει sed non sine te teste. Accipio uerò uelut obuijs manibus excusationem tuam, ratum habiturus, si ipse ut facturum scribis, ueneris. Quid uerò hoc de legibus ciuilibus? & ipse uocatus per Viatorem, non ueni, nihil existimans ad me pertinere quid in ea Ciuitate ageretur, in quam nondum essem adscriptus, neq; enim puto hic aliquem somnian-

do ciuem fieri. Quod si tu omnium nostrum nomine leges accipis, uide ut illud quod scribis sest. C. communi quoq; nomine soluas, nos enim quas leges, & cuius Ciuitatis accipiamus? qui dare solemus alijs, sed rogo te quantum hic sest. C. metuo ne si recte æstimo, nimis magno nobis constet hæc ciuitas, quamuis ego nondum in istas leges iurem, ne per panem quidem, nec per Iouem lapidem. Hæc ferè sunt quæ ex tua Epistola intelligere potui, nec enim laborabam ualde ut reliqua intelligerem, suspicans frustra laboraturum me, cum scriberes in Aristotele esse te, quem penitus cognoscere ego nunquam studui, ne à Sophistis quidem, & si minime Sophistice loquantur de Aristotele. Ego uerò existimo te ex Aristotelis patria ad me scripsisse, non enim domi scripsisti, ut ipse testaris. Igitur ô mi Stagirita quando μεγάραδε uenies, uel potius quando tuum Alexandrum uidebis, nunc Bactris colligentem exercitum, hic enim iam cum Curtio diuersamur. O miserum Theocritum qui in talem Ptolemæum inciderit, sub quo non una morte pereundum sit. Venies igitur, & tua somnia nobis explicabis, si modo curæ te istæ, quibus uehementer iratus sum, non impedient. Quid autem curas istas quasi muscas inanes nõ abigis? an flagellum tibi deest? an tuus non habet Aristoteles? Sed ô mi Imperator, dona me ciuitate, non hac sed Sicula, sic nos donaueris omni, neq; enim hanc ambio, istam utinam emere liceat, uel iactura sanguinis. Non ego enim tam stulte in hac

consequenda laboro, quàm tu incognoscenda Comicorum uanitate circa uersus ualde uersatiles, & pene nullis legibus obstrictos. Etsi Plautum amo uehementer, et amaui semper Terentium, sed satis iocorum, de serijs uero coram.

Tuus Rex.

IOACHIMO CAMERARIO amico chariβimo suo S.

Mitto mi Ioachime τὴν φαρμακεύτριαν à me uersam his diebus, quam rogo pro tua in me fide & beneuolentia summa excutias, mihiq; de hoc meo opere quid uideatur, postmodū ubi tibi bene uacabit, indices. Impudentiβ. enim sim, si urgeam tam beneuolum, & ad omnia quæ cupiam paratiβimum. Nolo autem hoc pulchre, bene, recte. Nam Quintilius me delectat. Cui si quid recitares, corrige sodes. Hoc aiebat & hoc. Cur enim minus tibi in mea iuris permittam, quàm tu mihi in tua esse uis, iubes, postulando cogis? sed de his satis. Mitto autē literas istas tibi, quas effudimus ea fiducia, qua scio te uel signa manus nostræ cognoscere, & possum ego quoq; nullius quàm tuas literas melius legere, etiam ualde negligenter exaratas, hoc quoq; te in meis posse nihil dubito. De Lecytho erratum meum oportune depræhendi. Itaq; dupliciter mutaui uersum eum. Tu indicabis uter arrideat magis

tuo iudicio, quia utrunq; in margine adscripsi, & liceat ne mihi in latino carmine dicere Lecython dorida, & posit ne ferri, scribi hoc latinis literis, cum totum sit graecum, sed ineptio forsan; Etenim exempla multa uideo. Sed tamen aliud esse puto interpretem quàm conditorem agere. Rideatur fortasse interpres, qui multa quae latine dici posint, Graeca tamen relinquat. Qui noua ipse scribat, non rideatur, si Graecis uel uerbis uel figuris utatur. Verum ego recte an perperam sentiam, tibi mi Ioachime iudicandum relinquo, staturus perpetuo tuo iudicio, quod ut aequum & exactißimum esse uideo, ita ab animo cum mei amantißimo, tum nihilo plus amicitiae quàm ueritati tribuenti, certo scio, proficisci. Vale ex Musaeo nostro.

Remitto tibi tuum Lucretium, non enim inuenio, quod certe putabam me inuenturum. Mulier quae in obliquo apud eum Poëtam legeretur. Sed fefellit me quod legeram in IIII. saepe muliebres, muliebria &c. Ego putabam mulierum aut huius modi legisse, uide quàm delectet hoc te dixisse mihi, quod prius nunquam animaduerteram.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO
amico charißimo suo S.

SImul heri mihi binae reddebantur, tuae et Spalatini,

unae

nunc diuina, quoniam omnia sic potes, ultra mihi fuerit iucundior epistola. A Spalatino raras accipio, à te frequentes & ferè quotidianas, sed diuina, nihil enim dicam. Quod tibi tribuo Ioachime iudicio facio, & merito facio, quod mihi tu, non libet dubitare, quin etiam aliquo modo uerum sit, quia nefas est credere, posse aliquod à te falsum proficisci. Sed hæc uiderit νεφεληγερέτα ζεύς. Non dicam omnia quæ sentio, ne tibi fiam suspectus. Nimium uerò Carmen nostrum laudas, quo dedicamus τὰ εἰδύλλια, sed cui recte quidem tu consulis & amice, sed hoc ego consilium iam reieceram, sic tamē, ut poßim resumere, si amicis uideatur, nam antea mihi nemo consulebat. Sed tamē etiā ibi est quod impediat alioqui propensam meā & bonam uoluntatem. Vtinam uerò ille regulus, quē tu multis nominibus clarum esse dicis, etiā hoc sit clarius, quod amet literas, et intelligat, neq; enim amare posse credo, qui non intelligat. Malim uero ego multomagis placere cuiuis erudito uel pauperrimo quàm indocto etiā ditißimo, et aliàs clarisſimo principi. Nunquā fui, per omnia iuro quæ poſſunt esse sanctißima, supra famā literarum ambitiosus, etsi gloriæ semper fuerim Cupidus, cuius quis bonus nō est, ut ait Cicero, sed eam uolui semper paucorum, sed optimorum iudicio mihi contingere, non à multitudine probari. Nunc si dicā in amplißimo heri theatro me uictorem declaratum non credes, at ego interim nihilominus fructū illum meorū studiorum ferā, à te probari, à quo

satis

ſatis erat uel tantum non improbari. Sed quid agemus? Comaſtē, ut ſcribis, lege, et nobis candide, ut ſoles, indica quid diſpliceat, fateor ſanè mihi diſplicere nonnulla, ut primũ ſtatim uerſum, ſed hæc poterunt emendari, περὶ τῶν περιφράσεων meum iudicium cum tuo congruere gaudeo. Itaq; his ſum ut uides uſus ἐν τοῦ, θᾶσσαι μὰν θυμαλγέα ἐμὸν ἄχος, & in hoc τὺ δ᾽ ἔμεν λόγον οὐδένα ποιεῖ. & in multis alijs, itaq; poſt hac maximè te approbante faciam, quem mihi gratulor talem eſſe, non dicã enim contigiſſe, quia uereor ne ſuperbũ ſit. Si potes, ut ſcribis, hodie ad nos accede. Salutat te Neuius non Meuius nec Bauius, cui ſi uoles ſcribere facies omnino hodie, cras enim tabellarius eſt abiturus. Salutant te noſtri Latrones cum ſuo Regulo, Ego uero ἀλγέω τὰν κεφαλὰν ex heſterna cœna, quæ mihi non procul à tua domo data eſt.

Tuus Heſſus.

EOBANVS HESSVS, IOACHIMO S.

Omnia qui certa ratione Aenigmata ſoluis,
Has precor artifici pollice ſolue tricas.

Habes quod agas, ſi nihil eſt quod agas, immò ut nihil agas hoc ages, uel hoc etiã ages, ne nihil agas. Sed illud ζύγισμα male me aliquantiſper habuit. Nec adhuc ſane reperio, quomodo uelari ſatis honeſte poßit.


posit. Sed quaeremus ea uela, per quae oculato tamen res appareat, quenadmodum quædā muliercule sic corporis quasdā partes tegunt, ut uideri illas cupiant. Aduerte nunc animum, mi Aristarche, & non solum amicum, sed iustum etiam censorem age.

Iudicio res hæ stantq; caduntq; tuo.

Venit inter hæc mihi in mentem, ut luderem aliquid de his studijs nostris, quod adscripsi.

Smichides magno merito concedat Homero,
Dardana nec Sicula Troia moretur oues.
Tu Ioachime tamen poteras in utrunq; paratus
Armare & reges, & numerare boues.

IOACHIMO CAMERARIO AMIco charissimo suo S.



Fustuario dignus sum, qui quod sancte tibi erā pollicitus, toto ferè octiduo facere sum oblitus. Itaq; etsi sero, tamen mitto literas ad Petreium, quas mi Ioachime quàm primum poteris ipse transmittes. Nunc rogo ut de ijs quæ annotauimus sententiam nobiscum tuā communices. Non audiam illud tuum, quid opus est? Nā quo magis nobis et rei literariæ alio opus sit? quā nostra summa atq; arctiss. coniunctione, ne quicquā sine altero alter inueniat, cogitet, proferat, dicat, scribat. Sed ecce ζήτημα, quod si explicueris,

Phœbus eris nobis, & Phyllida solus habebis.

Ego nuper diu requirebam tuum carmē de moribus elegantiß. scriptū, nesciens illud te abstulisse, de quo rogo te, quid statuis, æditurus ne es? ut ædas uerò uehemēter rogo. Cur enim scripseris, si non sis æditurus in communem utilitatem, non tuorum tantum domesticorum? Pulchre quidē hoc conuenire uidetur, ut dum ego nunc corporū ualetudinis conseruandæ præcepta trado discipulis nostris, tu animorum Medicus, illius quoq; ualetudinis rationē præscribas, & maximè morum, sine quibus ille non uidetur esse sanus. Vale ex Timonio nostro.

Tuus Hessus.

IOACHIMO AMICO charißimo suo S.

CAlamistro Cicinnatis ac prorsum undequaq; uorsum defæcatis tuis modulis aliàs responsitabimus. Nunc gratiā habeo pro nauata opera, & si in hac mihi danda liberalior fuisti, quàm uolui ego esse te. Mihi heri minus quàm oportuit numeratum est uno flore uno et octo duodenarijs, et necesse est hodie totū remittere in ærariū, nisi tu aliter faciendū consulas, nā ob hoc heri quæsitū te non inueni domi tuæ, itaq; quid sentis rogo? quid faceres tu? graue est mihi id damni ferre à ditiß. Repub. cui alioqui ægre id tantulum sufficit. Psalmum tuum legam. Miror autem te, qui nihil ut uideo

relinquis intentatum, nuper Comicus, paulo post Melicus, Lyricus inde, nunc Psalmographus. Quis te ferat ô Protheu? Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO SVO charißimo S.

MEum quidem erratum statim ut puer tuus abijt, intellexi, uerum nunc uide, num tu peius multo erres, qui arbitraris iocos tuos me adeò non intelligere, ut quasi parum auspicato scripto etiam exagitem, quod in hos mores meos non posse cadere ipsum te testem appello, cum præsentiorem non poßim, an uero & ego iocatus non sum, cum rescripsi de cicinnatis et defæcatis modulis? quod enim est hoc aliud, nisi delectatum uehementer me fuisse nouo isto tuo genere scribendi? quia uidebam ioco scribi, Verum ego uolebam, si liber ad manum fuisset, ex Visiculanti respondere, uel certe ex Quintiano. Verum hæc coram. Psalmum iam describit puer mihi, ego legi, lectum ut iubes remittam, placet mirum in modum. De consulendo Hieronymo quod scribis faciam. Ioci tui nullo non tempore mihi sunt gratißimi, quocirca nihil est quod uereare fuisse te non meo tempore hilariusculum. Bene uale. Quod iubes faciam de schedula concionatori Verdensi tradenda.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO.
suo S.

Opportune se mihi puer tuus heri obtulit, à quo accepisse te existimo, quæ cupiebam quàm primum ad te afferri. Nunc mitto quod & ipsum heri missurus fueram, nisi oblitus essem, nescio quid rerum agens. Vides tentasse me magis hæc, quàm perfecisse. Id ad lucernam factum est nudiustertius. Sed mihi ad multas res opus est te præsente. Res duræ & nouitas non regni, sed eorum quæ tibi nota sunt, cogunt me te aduocare, Venies igitur ad cœnam talem omnino qualis nos maxime decere posit. Mittam breui alia, uel potius tibi tradam, de quibus appareat quid ego per te, & tu per me profeceris. Etenim sic existimo tibi nequaquam decedere, quod mihi per te adstruitur. Mea uerò quæ ut scribis te augent, ed ego me uel in primis ornare existimo. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO
ἐκ τοξικωτάτῳ suo S.

Capita eorum de quibus in Symposio quæreremus, ut conuenit, ad te misi, quæ fortasse ideo etiam tibi placebunt, quod magis Ciceronianas, quàm Plinianas partes tueantur. Ego quo diligẽtius his de rebus

cogito, eo tuæ mihi rationes magis probantur. Sed non ideò hæc scribo, ut quemadmodum ille apud Plautum ait, Palpum tibi obtrudam, quo minus contra hæc quæ proponimus disputes. Nam quamuis quid tu sentias non ignorem, tamen ἀντιῤῥήσεις omnia certius atq; melius explicabunt. Vale & adesto in tempore, uel etiam ante tempus.

Tuus Hessus.

OMnis ætas tulit magna ingenia; uerum ea cum inter se differant plurimum, fit tamen, nescio qua ratione, ut eiusdem ætatis, ac ut ita dicā, sæculi, ita conueniant, ut eandē quasi φράσιν eloquentiæ ac dictionis habere uideātur, quale id fuit quo uixit Cicero sub Augusto ac paulo ante, deinde huic diuersum et quanquam non inelegans sub Traiano & Hadriano alijsq; principibus paucis, nam statim ad barbariem deinceps flexit hoc sæculum, donec Gothorum illuuies fœdauit omnia, & ferè usq; ad nostra tempora pudendam barbariem inuexit. Quam tamen quoniam aliqua ex parte exuere uidemur stultum esse existimo nouum aliquem, ut ita dicam, mollis ac delicatæ et ferè Asiaticæ eloquentiæ authorem potius, quàm optimum quemq; ueterum proponere imitandum.

IOACHIMO CAMERARIO
amico charißimo suo S.

QVid uerò de meis annotationibus mi Ioachime?nõ dubito quin quod sentias libere,ut nos decet,dicturus sis, idq́;ut facias te rogo.Id q́; malim ex te coram,quàm per epistolam cognoscere. Quoniã epistolæ etsi sunt liberiores quàm uiuæ uoces, tamẽ uelis nolis aliquãdo adulatrices sunt. Quam uellẽ uero si quoquo modo fieri posset,libellum penitus inspiceres, non audeo molestior esse tibi, qui iam plus sum quã debeam,sed tamẽ credo posse κατὰ μέρη hoc te & per ocium cum intermißione, citra negocium magnũ facere. Verbum non addam de hoc. Syracusias utcunq; absolui. Sed hoc utcunq; magnũ relinquit in animo meo scrupulum,quẽ nisi tu eximas,quo abijciam? conficiet me opinor, & tu minus uoles fortaßis isto modo perire tibi charum socium, quàm eo malo, de quo nuper languentem quoniam officiose inuisisti, quid ni adijciam?

Nuper ut abstulerat tibi me punita uoluptas,
Languentem fuerat deseruisse pudor.
Nunc cum reddiderit tibi me reparata uoluptas,
Sit rogo sanatum deseruisse pudor.

Sic enim ludere non dedecet,opinor,nostram simplicitatem, quæ in te & Mycalo quoniam est candidißima (feres hoc interim laudatiunculæ à Poëta scilicet)

tam sic amplector, ut Areani superbiam ne pili quidem faciam. De adnotationibus, in expedito est consilium, premere, si lucem non mercantur. Etsi in hoc genere ego nunquam statui quicquam operis facere publici tamen quoniam eo adegit me fortuna, ut hoc à me sperari poßit, & nescio an etiam requiri, uide num nulla ratione faciam quod facio? Vale.

Tuus Rex.

IOACHIMO CAMERARIO
amico charißimo suo S.

HAbes ἀδωνιαζούσας, cum quibus sum sanè reluctantibus aliquantulum colluctatus, sed hoc praeuideramus. Pudet uero fateri me etiam fuisse interdum ab his mulierculis male mulctatum. Sed apud te quid me pudeat, si hodie poteris me accedere, monstrabo tibi poëmata pulcherrima poëtae, cum pictura etiam Dureriana certantis. Hoc te scire uolo, quamuis existimem iam scire te, esse nunc hic Secerij sororem, cras abiturā, petereq; ad Secerium ut scribamus cum hac tu & ego. Itaq; si quid uoles, hodie scribes, & dabis Abbati uel mihi, ut illi dem. Nam sic ille iußit. Quid si cum hac Basilcam quoq; ? Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO ex animo amico charißimo suo S.

EGo eodem laboro uitio planè quo tu te laborare scribis, si uitium tamen est non libenter scribere. Etiam non putabam necesse esse describere quod primum in chartam eieceram. Mitto igitur libellum hunc, mi Ioachime, in quem & alia perscripsi primi laboris, non arbitrabar opus esse tibi pingere exquisite, cui nota essent omnes picturarum lineæ, sed si omnino laborem me uitasse credes, decesserit sanè labori aliquid, modo hoc ocio accedat. Cras tibi

Nos alacri dabimus perfecta Thalisia cursu.
Graiaq; Romanis reddita scripta notis.

Sed de Bione quid fiet? Explebis ne etiam uel complebis tu illa de quibus nuper tecum egi? Profecto nihil est, quod tu uereris, ne quis ausit hæc reprehendere. Quid enim horum reprehensor reprehenderit, nisi diligentiæ et studij nequaquam inhonesti operas? Si nihil aliud autem ταῦτην τὴν πεῖραν liberalis profecto lusus καὶ παιδιά τις μουσικὴ facile defenderit, deniq; si quis carpere temerario ausu uoluerit, is sentiet non solum longas, sed etiam fortes & uindicatrices atq; ἀμυντικὰς, regibus esse manus. Ad illam autem plane motoriam fabulam quod attinet, acquiesco, mi Ioachime salutari consilio tuo, & damnum hoc mihi in hac necessitate satis magnum potius fero, quàm inter urbem iterum

uirorum ærario præfectorum rationes. Quibus autem debetur, ijs alicunde ut satisfiat, uidebimus. Etsi enim satis anguste in hoc theatro sedemus, tamen in officio erimus. Tu quoq; idem facies, ut facis. Ne quis nostra fide rem teneat. Vale mi Ioachime.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO amico summo suo S.

VTcunq; Ioachime heri uelut impetu quodam in Theocritum relapsus, piscatores absolui. Nunc te admonendum duxi promissi, qui omnino aliquid rationis inituros nos aiebas, quo reliquias istas uel fragmenta uerius Theocriti aliquatenus adsequeremur. Itaq; rogo te ut hunc τὸν χρύσεον ἰχθῦν diligenter inspicias, quem ego pro sua preciositate minus belle decoctum ad te mitto, ut recoquas iterum atq; iterum, uel etiam torreas ad ingenij tui caminum luculentiss. Tum si iure tuo perfusus, dignus uidebitur qui hospitibus proponatur, Rogo ut in parte Cœnæ me esse patiaris, nisi enim hunc condimento tuo asperseris piscem, metus omnino est, ne uenenum habeat, et esitantem perimat. Itaq; constitutum mihi est, huiuscemodi edulijs sine tua autoritate & iudicio non uesci, atq; adeò odisse præsertim pisces, quos ego tam in syluestribus et ignotis lacubus ceperim. Vale, si potes, rogo, ut hodie remittas hos

piscatores, mihi cum suo aureo pisce, utriusq; periculo fiet, quicquid factum fuerit. Sis igitur animo præsente. Quid autem nos contra temporum iniuriam possumus quàm & hoc εἴδύλλιον sensit, & alia multa? Sed Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO suo S.

Si iam aliquid statuisti de Idyllijs, rogo ut remittas, uel ipse potius adferas. Cupio enim & piscatores illos non minus capere, quàm ipsorum quispiam piscem aureum. Prope quidem uideor iniecisse manum, & tamen nescio quo modo non teneo, credo quia lubrici sunt ab ipsis piscibus. Quod nisi tu doces, quibus hij Protei uinclis capiendi sint, metus est nō paruus, ne elabantur, & eludant iam expedientem uincula & carceres. Quid uelim, uides. Si non est molestum, & uacat, hodie rogo ad me ut uenias. Si uero domi tuæ tibi uacabit, melius ipse ad te ueniam, modo illud significes. Vale.

Tuus Hessus

IOACHIMO CAMERARIO suo S.

NOn ignoro optime Ioachime quantum tibi facesſam negotij, cum Herculiſco non modo deformato, ſed planè lancinato, & uelut ab ipſa Hydra diſcerpto. Verum tu qui ſeruatores hominum Dioſcuros ſeruas, qui aureos è mari piſces trahis, qui ex ſolidis lignis fiſtulas excauas, & alia magnifica opera facis, etiam hunc Herculiſcum anguibus ereptum, uelut Iupiter nobis reſtitues. Nec uero me ioco hæc ſcribere exiſtimes uelim. Nam uero agitur hoc à me ſerio, de his conatibus autẽ emendationum neceſſariarum in penuria meliorum librorum, quid adhuc metuis, quid te præſentire, quid præſagire animum mihi narras, Me ſpecta uel Regem, uel Herculis ipſius uictorem. Noſtra inſtar illa quidem Herculanæ clauæ penna tuebitur ambos. Aude igitur, fortes enim fortuna, ſed & ratio inquit, Cicero, quæ ne ipſa quidem nobis deeſt. Hæc autem quicquid dicant, dicturiæ ſint Critici ſucceſsibus aliorum fere inuidentes,

Quæ bona Simichidæ uertunt mea ſcripta Poëtæ
Carmina, iudicio ſtantq́ꝫ caduntq́ꝫ tuo.

Tuus Heſſus

IOACHIMO NOSTRO.

PEtrus abijt, & ego ut scis, ab nupera afflictione adhuc langueo, nihil est solatij Ioachime, nisi tu uenias, ac mecum latrocinere, nam insidias tibi iam etiam animo concipio, Si potes, fac poßis, ego te expecto. Homerum propter te amo, etsi hoc est satis, facio bene, qui non oderim quem tu ames. Sed quid? Draco uolat, tu non uolas, sed curre, & tecum cura adferri latrunculos.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO suo S.

VEni, si uacare potest tibi, cui nunquã quicquam rogato uacat. Veni igitur si non uacat, nec enim mihi uacat rogare te nunc, sed interminari uacat ne uenias, Ne ueni igitur, sed tamen ueni, immò non ueni, & ueni. Sed intelligis quis hic affectus uincat. Fac igitur quod faciendum esse uides, ut placatum & beneuolentem Regem habeas. Iam aderit Iacobus, etsi quem alium uis, dabimus operam ut habeas, dignus qui ex animi tui sententia habeas omnia. Vale à prandio Regio. Audies mira de quadam, & ut audias tua intera est. Nunc hoc dicam.

Cuius in hoc uersu pudet ædere facta puellæ
Vis uerum nomen dicere dic arabrab.

Tuus Hessus.

Ioachimo

IOACHIMO SVO.

Nunquid es ad cœnam Ioachime rogatus eandem,
Quam nos? & quoniam es, uisq; uenire, ueni.

Sed quid ago? uides ut non succedat quod instituerам, tantum est alienis animum occupasse. Totum diem legendis nescio quibus Medicorum παραγγέλμασι perdidi, atq; ob id à Musis alienior factus, propositum scribendi genus non expedio. Sed nec opus ualde nunc erat. Futurus ne es in cœna illa nobis etiam inter solennes numeranda? credo futurum. Itaq; rogo ad me primum cum Micalo si placet, et si hac ituri estis, uenias. Vale. Tuus Hessus.

IOACHIMO VIRO doctiss. nostro.

ORo te mi Ioachime, si tibi uidetur fieri posse, scribe uel unum τετράστιχον in libellum quem his ce diebus æditurus sum de ratione conscribendorum Carminum, in quam tu uoles sententiam. Nihil autem est quod nos laudes à magnifico materiæ apparatu. Pueris ualde puerilia scripsimus, fructum & utilitatem magis eorum, quibus scripsimus quàm nostram aliquã laudem qui scripsimus, aucupantes. Item si potes hoc uesperi rogo ad nos tu, ut rationem absentiæ tuæ tuo Regi cui debes, reddas. Nam aiunt in Pegaso quodam

euolasse ac reuolasse te. Ostendam tibi Minoris Brasciaeani ad me literas hodie mihi redditas. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO
Qu. amico summo suo S.

CArmen quod dedisti, uehementer placet. Itaq; si permittis nostro adscribam, & hos duos uersiculos tua uenia sic mutabimus:

Multaq; cum praeclara tuae sint scripta Thaliae,
Hoc & in ijs aliquod nomen habere puta.

Propterea quia dictio, hoc, corripi mihi non recte uidetur, quamuis quibusdam diuersum uideri me non lateat. Sed tu nostro etiam iudicio stabis, quia nos stare tuo solemus, alioqui tuo carmine nihil elegantius, non tam quia me laudas, quàm quia ex animo nostra probas. Quo tuo iudicio. Quid enim dissimulemus. Sic delector unice, ut beatum me existimẽ, qui à tam laudato laudor, cuiq; contigerit tam exacto iudicio probari. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO SVO
Eobanus

PRo bene uestito Fabio, Ioachime Poëtam
Mittimus inuestem nos tibi Simichidam.

Non

Non male uestitum tamen illum Doride palla,
Sed Latia lacerum semiferumq; toga.
Qui tamen hoc etiam quod de Sybaritide terra
Venerit in syluas Romule Tybri tuas.
Parte bona debere tibi Ioachime fatetur.
Non ita nullius, cornua frontis habet
Iure igitur peregrinatus per pascua mecum
Romula, Sicaniam te duce rursus adit.

IOACHIMO SVO
Eobanus S.

ANte solis ortum diei crastini carmen ad Bachium exscribendum est mihi Ioachime, rogo quia non uenis, ut remittas, nam exemplar quod habeo non respondet, aliter enim semper exscribo quàm scribo. Et rogo te per fidem tuam uel unico uerbo rescribe, quid tibi uideatur, & de carmine nostro & instituto. Vale.

Tuus Hessus

IOACHIMO CAMERARIO
suo amicißimo S.

Adsurgit Musæ nostra Camœna tuæ
Digna sunt Apolline quæ concinis Poëta.
Quos mihi mittebas uates Ioachime relegi,
Versiculos dignos hic & ubiq; legi.

Etsi satis hic quoq; poetatum est, ne me putes ludere, digna prorsus mihi uidētur ista tua poëmata, quæ quam primum legantur, non tantum studia & ingenium multiplex, uerum etiam singularem pietatem & præsentibus hominibus, & posteris testatura. Quare si me audis, scis puto quid cupiam, non fallo, multo minus blandior, ede bonis auibus quod tam feliciter tibi domi tuæ natum est. Et cur non ædas, cum uideas passim implumes et iā uolare, & nihil non conari inauspicatissimas uolucres? Carminis fluxum tibi nō laudo, dignus qui parum fidei sim habiturus, si tibi laudem, mihi si quis laudet, nihil fortasse præter hoc respondeam dignum immortalitate quicquid in hoc scriptum sit, esse opus. Verum hæc alàs. Nunc oro, si uacat, ad nos uenias cū Micaelo nostro, uel si ille nolit solus, hoc est cum tuis Musis. Latrones nostri indignantur se insidijs heri à te circumuentos. Itaq; diem tibi dicunt, et nisi pareas bellum denunciant. Tuus Hessus.

JOACHIMO CAMERARIO VIro doctiss. amico summo suo S.

Ergo mihi uenit pro te tua litera, sed qua
Non etiam moriens blandior esset olor.

Nam quod primum conabar scribere uersus erat, Sic huic generi totū hunc diē insumpsi, sic me immiscui, ut ne uolens quidem possim discutere, quod nō quidem

dem nouũ nunc eſt ad te, ut tuum heri ad nos, & Ciceronis ad Cæſa. ſcribendi genus, ſed familiare ferè nobis & congenitum. Quid igitur ſcripſerim quæris, per Apollinem, ſupra centum uerſus hodie, ſed utinam non Lucilianos, id eſt, Luculẽtos, quia non ſecus ac ille ſtans pede in uno, ſed & ſecus quàm ille de uno pede ſcripſi. Iam opinor intelligis. Nam omnino male habet me inſolentia cuiuſdam ſiue falſi uictoris, ſiue infeliciter uincentis & ex inſidiis plus quàm hoſtiliter laceſſentis, ſed & paßim traducentis quod in uno pede carminis deliquerim, quod tu pro candore tuo amice admonebas, & erat ridiculum magis & uenia quàm odioſa inſectatione dignius. Dißimulaui diu ſatis, ſi homo is finem faceret inſectandi leui momento appræhenſum, quod cum non fieret quid mirum ſi exarſi & memini non ſemper oportere leonem eſſe ſine unguibus, & illud noſtrum, regem ſine manibus. Cupio uerò ut carmẽ ipſum uideas, ſi quando tibi liceat, ſine cuius iudicio et conſilio nihil hic ædere conſtitui. Vale.

Tuus Heſſus.

IOACHIMO AMICO charißi. ſuo S.

Nihil eſt charißi. Ioachime quod ſollicitus ſis uel de fide uel officio noſtro, Nam tu uix potes ullis literis diligentius commendare mihi, quàm ego ſim

exequuturus omnia quæ intelligam ad te pertinere. Ludum mihi commendas, facis quod te decet scilicet, utinã sim is, cui & poßit, & debeat commendari, faciam tamen omnia quæ facerem præsente te. Abi fœliciter, ut facis, mi Ioachime, tui Eobani memor, hoc erit mihi non solum pro aureis omnibus platanis & uitibus, sed etiam montibus. Vale. Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO
amico fidiß. suo S.

Rhetor maxime maximum Poëtam
(Magno iudice si libet fateri
Quod non tam sumus esse quam uelimus)
Cur sic deseris, ut uenire nolis
Neglecti amplius in domum poëtæ,
Postquam te semel improbus Poëta,
Sed non fraude mala, tamen fefellit.
Quod te maxime Rhetor obsecramus
Per Manes Ciceronis eloquentis,
Per Demosthenis ossa gloriosi,
Velis uisere maximum Poëtam,
Et non sic fugere, ut solent Poëtas
Indocti rabulæq;, garruliq;,
Sed citra sapientiam Sophistæ.
Rhetor maxime maximo Poëtæ
Si das hanc ueniam, tibi Dei dent.

Nẽ

Ne de Rhetore maximo & beato
Fias pauper & optimus poëta.

IOACHIMO CAMERARIO
amico charißimo S.

CEltis ſcribit Salisburgum olim fuiſſe uocatum Iuuaniam, quod ego quia nuſquam alibi legi exiſtimo ſine periculo credi non poſſe, nec enim opinor ſic apud ullum uetuſtum Scriptorem legi, quamuis gentis ego uocabulum quàm urbis ſcire malim. Credo quidem Boios eſſe uel fortaſſe Rhetos, ſed hi utriq; patent latius, quàm ut alterum huic tantum genti tribui poſſe uideatur. Item ſuſpicor & ipſos partem eſſe è Noricis. Scio rem hanc ſatis & uetuſtate & recentium memoria intricatam eſſe, & me in uerſu latino uehementer offendunt iſta barbara nomina, maximè ſi nullum flexum uel Latinum uel Græcum admittunt. Itaq; ut ſcias non fruſtra quæſiſſe me prius, ridiculum eſt quod ſcripſi.

Quiq; alias habitant partes Francinidos oræ.

Sed ut ſcis nihil apud te pudendum mihi duco, opinor autem poſſe Francidos dici, quamuis Francus per ſe ſatis ſit nomen tractabile, & in ſua natura nullum flexum refugiens. Itaq; de hoc facile uiderimus. Si potes rogo, ut iſto qui nunc torquet ſcrupulo me leues. Vale.   *Tuus Heſſus.*

IOACHIMO VIRO FORtißimo Eobanus Hessus S.

Insidiosorum lusurus bella latronum,
Si iam cœnasti mi Ioachime ueni.
Interea licet ipse bonus Dormitet Homerus,
Nos exire domo iam quia relligio est.
Nam uenient nobis Athesini *regna* Tyrolis
Tu tua de forti scripta gigante leges,
Quod melius faciat nil Ioachimus *habet.*
Quod si non facies, quid Ioachime *facis?*
Sed ne non uenias, mi Ioachime *ueni.*
Saltibus in Francis *fortes numerare caballos,*
Par *labor & uersus quos* Ioachime *facis.*
Rex *eris, ad* Regem *si* Ioachime *uenis.*

IOACHIMO SVO S.

Scire uelim sis ne hodie hoc quod destinabas, auspicaturus? Deinde si hoc nolis, pati ne queatis uenire me in uestrum contubernium. Nam *&* Baumgartnerus *ibi est futurus, quem ego conuetum uelim ea de re, quam heri copiosius exposuissem, si audire uoluisses, sed quando uos cœnatis? si non grauaris fac me certiorem. Vale.*

Tuus Hessus.

Ioachi-

IOACHIMO CHARISsimo suo S.

Quod cum adesses prætererieram, nisi uenias hoc uesperi, carebis ea uoluptate oculorum, quam nunquam deinceps consequere. Quid sit non dico. Sed ut uenias, etsi poßis Micalum tecum adducas, uel si hoc molestum est attrahas oro, non enim iam iubere audeo, Regem esse me oblitus, dum isti regno deturabant, qui à pedibus potius quàm à manibus nos metiuntur. Vale.

Tuus Rex.

IOACHIMO SVO S.

Rogo te mi Chariß. Ioachime, literas Croti nostri remittas ad me si potes, ut earum lectione quantum possum hoc uesperi me satiem, satiari enim omnino istis legendis non possum. Cras recipies, cum reliquis quæ iußisti fieri. Vale. Sequor consilium tuum in prælegendis ταῖς ἡμέραις καὶ τοῖς ἔργοις Hesiodi. Sed hæc & alia coram uale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO uiro doctiß. amico summo suo S.

CArmen tuum uere mihi arridet, nisi quod uno atque altero loco forsan negligentius à te scriptum à me non intelligitur, qua de re coram ubi voles, ad argumentū risi, mirū in modū gauisus, hoc genere argumēti te quoq; gaudere. Itaq; statim cōieci in chartulā, ut uides uersus super ea re aliquot, quos uelim, sic ut nostram amicitiam decet accipias, nam si tu ludis, cur non uicissim ego ludenti alludam. Quamuis quid ludas? uel potius cur non ludas: cum iste ludus te uelis nolis maneat, uel senem si iuuenis contempseris? Multo uero erat copiosissimū tibi respondendi argumentū natum è tua sylua. Sed praecidere me oportuit quod alias tractaturū me esse latius cōstitui. Nā de huiuscemodi rebus scribendi semper mihi fuit infinita copia, quam tamen haec aetas potest ut spero praecidere. Vade, & lude feliciter. Omnino nolo me ut aliquē te maiorem appelles. Quot sum enim huiusmodi ineptiae? sed socium esse patiare, id libenter feram. De Philippo libens accipio quod in calce apistolae ad te est adscriptum. Sed de his coram.

Tuus Hessus.

IOACHIMO VIRO DISERtiss. Romuli nepotum nostro S.

VErus hodie fuisti qui praedicebas futuram pluuiam, & miror sic ueracē fuisse, qui libenter & incūde nugari soles, etsi sic ferat ratio fallere quoq;. Ergo

Si bonus es pluuiæ Græculus author aquæ,
Si quid habes ueri magne propheta, ueni.
Campus discolor ille te latronum
Expectat, uenias Propheta magne.
Et iam pransus es, & uacat uenire.
Et cur non uenias Propheta noster?
Sed ueni sic te pluuiæ suaues
Obruant, sic te bona copiosi
Dulcibus mersum Cyathis inundent.
Pocula Bachi.

Tuus Hessus.

IOACHIMO VIRO doctiß. suo S

O Dulcem errorem meum, nunquam erraui libentius Ioachime, putaram in schola consessurum me inter communes auditores. Verũ inter tales uiros Deum immortalem me ne pudeat? me non potius delectet? Quare nihil addam amplius, quia rem ex sententia, id quod ne somniaram quidem, cedere uideo. Sed quis exemplar nunc expediet cupido nocturna uersare manu, uersare diurna. Vtinam queamus expiscari aliquod uel tota urbe uenale Homeri exemplar, pluris libenter emam quàm ualeat, agam ego cum Baumgartnero, si poßit ille forsan ea quoq; in re nobis commodare. Viue ac uale.

Tuus Hessus.

Ioachimo πατριαρχωνύμῳ S. Hessus.

Obuius à cœna Plutarchus uenit eunti
A Plini tenebris ad Ciceronis opes.
Dum cupio iniecta properantem uoce morari,
Incœptum fallax alea rupit opus.
I nunc nostra tuis αἰνίγματα confer ὁμήροις
Qui tamen hoc casu ne moriantur, ades.
Quos capitella uoco, capitum capita esse uolebam
Sed si non ueniant uix rear esse pedes.
Huc Patriarchæ nobiles
Huc properate Archangeli,
Huc scribæ ueniant graues.
Reges omnia poßident
Ludos, uina, sed aleas
In primis tibi non graues
Iucundißime Anastasi.

IOACHIMO CAMERARIO
nostro S.

Quia cras Calendæ sunt Februarij, constituo mittere qui ferant partim meriti stipendij quod significandũ tibi & Micalo nostro duxi, ut quoniam in eisdem nobiscum castris militatis uestros quoque Oratores nostris legatis, si forte placeat, adiungatis. Deinde Ioachime quæ annotata uides, ea nobis

expedi

expedi, & Phyllida solus habeto. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO
Regni Musarum Qu. suo S.

Ecquid mittimus hodie in Curiam pro accipiendo stipendio, qui strenue adeo militamus? dari nõ est dubium, cum & iussi simus in hunc diem petere. Pulchrũm uidetur, ut hoc simul agamus, ut si mittas tuum Vitum, ego illi addam unum ex meis, nam & hoc commodissimum est, ne Quæstoribus istis laborem numerandi duplicemus, & nobis honestum communiter accipere, quod communiter debetur. Quod ubi erit factũ, tum de Musis cogitabimus, nam mire nunc quidem frigent, quoniam ligna ad calefaciendum hypocaustum desunt, calescent uerò ubi ad ignem accesserint plus satis. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO NOSTRO
charissimo S.

Mittimus hic inclusas literas tibi Ioabhime cuiusdam ex Heluetijs, nomen excidit nobis, tibi fortasse non ignoti uiri, ut uidetur, & boni & eruditi, nam & nobis scripsit olim mihi, cum Rex essem, ut ait

ipse, familiariter notus. Tu si quid est quod scire uel oporteat me, uel tu uoles, rogo uti ad nos nunc uenias. Nam & alia quaedam mandata nobis ad te sunt. Vale & has literas ubi perlegeris, quaeso ut earum nos participes esse permittas. Videntur enim habere fructus aliquid ad nostram sterilitatem redundaturi, cum tantum in fronte floris promittant. Vale.

Tuus Hessus.

IOACHIMO CHARISSImo suo S.

EGo uero risi, cum tu scriberes sperare satisfacere te posse indignanti mihi quia non ueneris, scilicet, ego possum indignari tibi Ioachime? sed ad rem: Chalcographo hac hora tradidi ista omnia quae uidisti, si modo quod optabam, hoc postremum per occupationes tuas tibi licuit perlegere. Cur uero non aedam? an patiar istos tam libere ac friuole mihi insultare, quod nihil in ipsos quidem, sed in me magis deliquerim. Quamuis quid deliquerim, & tu sic soles excusare, quod utinam posses tollere, erratum nostrum. Quod si illi quicunque demum sunt, quicquam haberent tui simile, haudquaquam mihi facesserent hoc negotij. In fronte libelli si uidetur sic scribemus:

Hic oculis opus est iterum tibi liuide, si qua
Dentibus occurrat praeda parata tuis.

Sed

Sed puto ni rodas tua pectora, ut ante solebas,
Hic miser extrema conficiere fame.

Non audeo abs te petere, ut in partes uenias, nec uelim inuidia grauari te, uel apud ipsam, inuidiam, & ego ab istiusmodi contentionibus natura semper abhorrui. Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO nostro S.

ET hoc nunc τέμενος deuoratũ est Ioachime. Mittemus igitur centum oratores augusta ad moenia regum. Quorũ principes erunt Cyneas tuus & noster Diogenes. Mihi quidem ut scis, ualde molestum est accusari apud ἐφόρους istos. Causam enim nunquam dixi. Iccirco committes inter caetera legatos, ut actionis statum habeãt. Nec posse, nec consuesse Poëtas causam dicere, esseq; etiamnum Iudicibus formidabiles coram quibus accusentur. Itaq; satius esse uel toto aerario redimere unam talem etiam leuißimam causam. Haec tu illis sic scripta consignabis, sunt enim Oratores nostri obliuiosi, & praeterea capita sine linguis. Vale & uola cum tuo Cupidine fortiter & feliciter. Ex Regia.

IOACHIMO CAMERARIO, uiro summo charißimo amico S.

DIxi nuper tibi Ioachime, si forte meministi, de

quodam carmine, quod absente te luseram, statimq; missurus eram, si mature, & quod optabamus argumētum, immò occasionē tuus aduentus intercepisset. De scripsi tamen & impleui hodie, nam ultimi uersus 14. deerant, tibiq; misi, ut & uideas absentem te nobiscum fuisse, etsi uidetur adhuc transmitti posse, id tuo consilio fiat, ut quod aduentus tuus de argumento detraxit, consilium rursus adstruat. Sed obtestor & adiuro per Musas te, ut omnino me scripsisse sentias, mihi quidem satis testium est, mea conscientia. Vale.

Tuus Hessus.

Eob. Hess. Ioachimo S.

Ne desit quod agas, quod rideat Augur Apollo,
 Ludendi præbes tu mihi materiam.
Sed quid agam? uersus peruersos ordine uerso.
 Dum lego nil facio, & multa simul facio.
Nunc ut tu uenias pono Ioachime tabellam,
 Siue iterum uinces, seu mihi uictus eris.

Patriarchis & Angelis nostris S.

Ecquid uacat uobis amici, ut uel uos huc, uel nos isto. Nam

Festa luce domi tota qui desidet illi
An ne aliquid uiui sanguinis esse putas?

Vel

Veto te contristari Ioachime. Nam in Angelos nullum cadit παθος, quanquam ὁ, sed

Viuit adhuc nobis uicturus longa Philippus
Tempora, tam sæuos quis putet esse Deos,
Vt talem rapiant iuuenem, qui uiuere uita
Nunc primum potuit commodiore tibi?

Sed charta plena est.

Ioachimo Camerario nostro S.

REmitto quidem tibi ut iubes, & ut tu uocas, nugas uerè si nugæ sunt, Pulcherrimas. Sed uide ne dum has tam diligenter repetis minime accipias. Nam ego quidem descriptas habeo, ne putes hic indiligentem fuisse me. Vale.

Tuus Hessus.

Ioachimo nostro S.

SI nihil est quod agas Ioachime, hoc age si potes, uenito ad nos, ut simul fortunam amici ut iubes, deploremus. Sed quid deploremus? immò ut consolemur nos mutuo de bona fortuna quam aduersam nos interpretamur fortasse maligne satis. Sed iam si potes, ueni. Ego redij ex aucupio, cui hunc diem dedi. Idem Micaelo quod tibi scribimus.

Tuus Hessus.

Etiam Epithaphia mitto, de quibus eligetis quod maxime probaueritis, cætera, si uidebitur, abijcietis.

IOANNI SEILERO PABEbergensi uiro opti.

Quo tumulo Seilere iaces rarißima tecum
Hoc iacet & probitas & generosa fides.

Aliud.

Non prius occubuit fato Seilerus acerbo,
Quàm foret ille annis & pietate grauis.

Aliud.

Qui plenam grauibus uirtutem miscuit annis,
Seileri reliquum continet urna breuis.

Aliud.

Si uirtus spectanda foret post fata superstes,
Seileri caperet tam breuis urna nihil.

Aliud.

Fallitur angusta qui te Seilere sub urna,
Qua tegeris, totum posse latere putat.

Aliud.

Vnde animum corpusq; datum Seylerus habebat,
Hanc cœlo moriens reddidit, illud humo.

Sed qui possum uirtutem, pietatem, sapientiam, fidem notam nobis uno disticho pro dignitate celebrare, & tam paucis uersibus comprehendere?

Hæc iam culpa igitur nostro debetur Hopello,
Disticha qui tantum scribere nos uoluit.

EOBANVS HESSVS IOAchimo Quæstori Regio. S. D.

Ego quidem quantum in ærario sit nescio, & accipiendi sunt hospites, non ad illā cotidianam nostrā consuetudinem, sed singularē et magnificū in modum. Tu uero, ut audio Quæstor noster, domi iam reptas uel potius decumbis, neq; prodis extra ædes. At nunc uel max. opus erat præsentia & opera tua. Videbis ut argentum nobis ad cœnam quo una mensa instruatur, præsto sit, purum celatumúe, nil moror. Vasa modo sint quibus potemus nos. Iam enim coci occuparunt culinam. Omnia attulerunt illi quæ coquant. Vasa tantum à meis petunt. Apparatur conuiuium opipare iubente & curante Satrapa Regni. Aduenit enim modo, si nescis, Dantiscus, qui mecum esse uult, & deponere interea præsulis personam. Ille igitur tantus hospes intrare angustas non dedignabitur ædes, Regalemq; hilari fronte subire casam. Etiam uinum missum est, quantum conuiuis Tricongijs omnibus satis esse posit. Nihil igitur iam ærariū moror, Vasa modo promi uolo. Hæc igitur à te afferat tuus Scirtus, quibus utamur, et que reponantur apud te, postquā usi fuerimus.

Sed te non esse nobiscum posse malum est. Et requiretur profecto præsentia tua. Hoc uero est necessitudinis ueteris non obliuisci, cum ille tanto splendore nominis, tanto dignitatis gradu, hac opulentia, ultro ad me accedere potius uult, quàm accersere me ad se. Vtrum uero tu doctrinam hanc illi humanitatem, an consuetudinem externorum addidisse existimas? Hoc πρόβλημα *dignum est consideratione tua. Sed de his corã. Nunc, ut dixi, scyphos mittes non* κισσύβια. *Quicquid erit gratum erit, sed grandiora pocula mallem. Bibemus enim ut opinor, homines elegantes & docti Græco more. Vale conualescens quàm primum, & te nobis confirmatum siste. Ex Regia.*

IOACHIMO CAMERARIO *nostro S.*

ORo, perscribe mihi ex tuo Herodoto, quod nuper ostendebas, quot μυριάδας *in Græciam duxerit ille Xerxes. Nam mihi tuas rationes cognoscere & considerare libet. Vale.*

Tuus Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO *suo charißimo S.*

SI ullo modo potes maxime te rogo Ioachime, ut uenias ad nos, simulq; uti roges nostro nomine illum mirabilem & satyricum Mycalum, ut & ipse ueniat hospes cum uxore sua peruenusta. Simul Ioachime sunt quæ te uelim, & quæ scire te oporteat. Vale. Adducetis unà uestras, si uidebitur, nam nobiscum est hospes coniunx.

Tuus Eob. Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO
uiro doctiss. amico summo suo S.

HOc uulgare est, sicut tu soles dicere Ioachime, tabellarius properabat, non uacabat, eram occupatus, Et si quid est taliũ. Sed hoc plane regiũ, scribebã à prandio statim, imò in ipso adhuc prandio nostri Sturtiadæ, et tu non ignoras quid ego soleã in prandijs Mi Ioachime, quod tu potissimũ à me exigis, ego præstare nunc minimè possum, non quia non possim omnino peruertere istum Clypeũ, sed quia uacare nunquam potest, ita obruor pene Erphurdiensibus delicijs fermè quotidie, & tamen non eò usq; ut tui obliuiscar. Mi Ioachime uelim mihi significes, sicut etiam proximis ad te literis scribebam, num patiare tecum agi de conditione aliqua, qua huc possis pertrahi? D. Sturciades iussit asscribere me, ut si oleum χαλκάνθου iam habere possis paratum, ad se quam primum transmittas: Et ob eam rem transmit-

transmittit duos tibi cognomines, si quid praeterea ex posueris, libentißime & hoc transmissurus. Qui tu uales anime mi? Quid tuum crus? Quid Norinberga de nobis? nihil? nihil amo hoc tempore magis quàm tuas literas, quae sunt mihi instar omnium aliarum. Si me amas, ut certè facis, scribe ad me saepius. Habes enim, & potes habere frequenter ad nos tabellarios, & haud dubie frequentiores multò, quàm nos hinc ad te. Emitte obsecro librum tuum sine Clipeo, haud dubie defensum satis suo ipsius gladio, sic ut Clipeo non indigeat. Sed heus tu, iam & alij mihi occurrunt Clipei, Eurypyli uidelicet apud Calabrum, ut uideo ex quorundam Commentarijs. Cuius descriptionem habeo quidem, sed uerum archetypon, id est, ipsum Calabrum non habeo, nec habere hic poßum, tamen constitui uertere, et Agamemnonis apud illum nostrum, & quaeram alios quoq;.

Te rogo, ut si quos noris, qui in hoc genere nosti omnia, mihi indices, Salutat te ualde reuerenter D. Sturciades cum tota domo. Saluto & ego te qui scripsi epistolam, in Domino. Saluta chariß. nostrum D. Georgium Hopellum & Micaëlum unicè carum & Mylium & alios omnes subortum Caniculae.

M. D. XXXIII.

Tuus Hessus.

Erus

ERVDITISSIMO VIRO DOMI-
no Ioachimo Camerario amico chariß. suo S.

FAteor mi Ioachime, iam diu nihil ad te scribo, non quia non semper cupierim, sed quia uel cum maximè uellem, defuit oportunitas, uel cum ea etiam adesset, ipse aliò distrahebar. Quorum tamen si nihil accipis, superest ut culpam agnoscam, & peccatum fatear tibi, quocunq; modo uoles plectendi sontem iure relicto. Et tu non ignoras meam inscribendo negligentiam, quæ ut natura est mihi insita, ita in colenda amicitia multo quàm scribendis literis semper uideri uolui esse diligentior, quod haud dubie tu quoq; ipse iudicabis, si ante actam nostram utriusq; consuetudinẽ rectè animo perpenderis. Sed quorsum hæc nunc argutari attinet mi Ioachime amicorũ omniũ longè charißime, uix credis quãtum me nuntius Hœpelli mortis perturbauerit, quẽ ex tuis literis accepi peregre mortuum, sed non libet refricare cicatricem istã, quid enim profuerit? Quod ad nostras res attinet, ego quidem uideor non temere conditionẽ mutasse, nec dum enim penituit, quanq̃ dulce erat Noribergæ uiuere, & præsertim propter te & nostrũ chariß. Baumgartnerũ scis qualem amicũ. Tuum Clypeum toto hoc fermè anno quo absum perdiderã, nuper casu reperit uxor in scriniolo quopiã inter mundũ muliebrem, nam scilicet & illũ exornant Clypei. Itaq; dabo operã, ut si ita utiq; uis, ut quã primũ absoluatur.

Sed

Sed quis erit hic Aristarchus mihi te absente? ego enim, ut istius linguæ sum tuo quidem iudicio magis quàm meo non prorsus rudis, ita natura in audendo aliquid tale meticulosus. In Macrone ut uideo, nihil prorsus est præsidij, de quo ante hoc tempus longe fuit præclarior existinatio mea, sed & nunc egregia est, uerum ille alias res agit. Nuper uerti, ò facinus audax, Coluthi raptum Helenes Poëtæ non admodum obscuri, nisi quod uereor aliquot locis deprauati. De quo mi Ioachime tuum iudicium expectabo, missurus etiam breui ad te meam uersionem, & misissem cum hoc Verdensi tabellario, nisi tempus mihi ad describendum defuisset. Interim te rogo mihi explices, quomodo mihi locus quē inserit de sepulcro Phyllidis sit accipiendus, cum tempora non conueniant, & profectio in Græciam Paridis ante Troianum bellum facta sit. Phyllis demum bello perfecto se suspenderit. Hæc rogo mi Ioachime mea caussa facere ne grauere. Et quàm primum poßis ad has literas mihi respondeas. Deinde item de tuis rebus omnibus, deq; tuis consilijs planè & aperte omnia significes. Ego bona spe sum, fore ut honesto premio huc, si modo uoles, perducaris. Nam ea nunc parumper, quiescentibus alijs negotijs & tumultibus, causa agi potest, & agi nuper etiã, sed lenius quàm uellem, cœpta est. Scis morem nostrorum hominum. Consilia nobis non desunt, animi ad consilia exequenda desunt. Ita fit ut lente, & quasi per somnũ agantur in hac ciuitate omnia.

nia. Sed nos erimus eō diligentiores in urgendo, quò sunt illi tardiores in perficiendo. Ausi sunt quidam nuper quærere à me, posses ne huc perduci salario annuo octuaginta aureorum? ego constanter adserui non posse minoris te, quàm ego conductus essem conduci. Et cum ostendissem quantus esses in Latinis & Græcis literis, facile omnes in meam sententiam perduxi. Itaq; tā nunc tantum est deliberatio, unde tantum pecuniæ sine detrimento fisci publici contrahant, quod tibi pendatur. Quare mi Ioachime rescribe quam primum potes, poßis ne annuis centum contentus esse, & cum tuis omnibus in hanc ciuitatem demigrare. Quod utinam uelis Ioachime, posse enim nihil dubito, & forte ne tu quidem dubitas, qui & mores huius populi & ciuitatis conditionem satis nosti. Saluta mihi uxorem tuam, saluta dominos & amicos chariß. nostros. Et Baumgartnerum, Ioannem Mylium, Vincelaum Lincum, Ioannem Magebucchium, & in primis optimum uirum D. Georgium Genderum, qui me argenteo donauit poculo, & ego pro illius in me liberalitate ingratus non ero, D. Sebastianum Magnum, & quos nosti reliquos amicos. Penè exciderat mihi optime de me semper meritus singulari uir pietate, Dominus Lazarus Spenglerus, hunc ut reuerenter meo nomine salutes te rogo. Quàm dolet Ioachime inter tot salutandos Hopellum non posse ascribere. Hæc scribēti testis mihi eSt Deus, penè exciderant Lachrimæ. Vale mi chariß. Ioachime,

& mihi quàm primum potes rescribe, et si quas in me uirtutes esse unquam iudicasti, rogo ut hoc uitium meū in scribendis literis ne imiteris, sed mihi potius ignoscēs, à naturæ tuæ bonitate nō discedas. Salutat te et uxorem tuam mea Regina amanter quidem, sed ut solet, Thuringice. Nos ualemus perbellè omnes, cura ut ualeas. Erphurdiæ Id. Martij M. D. XXXIIII.

Non licuit relegere, si quid requires in eo sequeris coniecturas tuas.

Tuus Eob. Hessus.

IOACHIMO CAMERARIO uiro doctißimo amico summo suo S.

QVod ad tot meas ad te literas Ioachime, nihil respondeas, neq; ferò molestè, neq; miror ualde, cùm sciam in scribendo tardum, in amicitia tamen colenda diligentem esse et fuisse semper. Quod uerò cum hoc nuntio nihil omnino literarum, cum præsertim Sturtiadæ nostro scriberes, ad me dederis, mecū tacitus indignor. Atq; etiam penè tibi fuissem subiratus, nisi leuiter mei in literis ad Sturtiadem meminisses, ubi iubes ut Coluthum tibi mittā, quem ut uides, mitto qualemcunq;, neq; enim alium uel potui uel habui, nisi eum, quē tu talē effecisses. Hactenus hæc. De alijs nūc. Ego si nunc Poëta essem, dicerem omnino in Serípho habitare uos Ranas Noribergēses. Ita sunt omnia muta

et à uobis et apud uos, ut audio, qui etiã prohibeatis de præsentibus rebus uoces esse liberas. Quid istuc? quia scilicet, ut suspicamur, uos estis in partibus. Scis quib. de rebus loquar, et nisi me fallunt omnia, sciet breui et tua patria & aliorum fortaßis, quod tamen auertant superi. Quod ad nos attinet & nostra studia, magna hic cõtentione agitur, de recipiendis in hanc (ut uocãt) facultatem duobus Vittebergensibus uiris doctis, bonis tamẽ multo magis, qua in re nostri quidẽ pauci sed peßimi homines summa ui nituntur contra. Verentur enim sicut nõ dißimulant uereri se, ne si hos receperint, alios deinde plures Vuitenbergenses recipere cogantur, & totam scholam Vuitenbergensem ad nos demigratu ram palam fremunt, quod utinam fiat breui. Ego quan tum priuatim, et ut ita dicã, furtim facere potui, eo rem adiuui & promoui, ut iã pro cõfecto habeatur, nisi infelicißimus ille Fulgurius optimæ nostræ uoluntati unus obstiterit. Spero tamẽ fore, ut res pro nostra senten tia breui sortiatur exitũ, ego in quorundã ob eam rem inuidia sum, sed dißimulant, et fateri nõ audent, metuẽ tes uidelicet Maiestatẽ Regiã. O quàm te cupiũt, quibus te uotis optant, mi Ioachime, et tamen nihil earum rerum præstant. Cum hæc scriberem superuenit tabellarius, & impedierat me Papa noster, qui mecum garriebat, alioqui plura scripsißem. Rogo te ut diligenter de omnibus tuis rebus ad me perscribas. De Colutho rescribe oro quid sentias. Vale. Saluta nomine meo

& Reginæ uxorem, & totam domum tuam. Vale iterum Erphurdiæ.

Tuus Eobanus Hessus.

DOCTISSIMO VIRO IOAchimo Camerario amico chariß. suo S.

FAcile credo mi Ioachime non posse te irasci mihi, etiam si cessator sim, hoc est, naturam sequar meam. Gaudeo uero gratas tibi meas literas esse, idq; summæ uoluptati est à te probari qualescunq; meas. Si uero nunc ego me excusem de breuitate harum literarum, uix credas circumuentum me temporis angustia, non quia magnæ res fuerint quæ urgerent, sed quia indignæ, de quibus ad te perscriberem. De conditione tibi proposita quod scribis optime Ioachime, iudico te sapientißime statuere, si non accipias, nam quid te talem uirum, & ut tu non dißimulas, Musis uere natum, in id pistrinum coniicias, unde euadere, deinde non ita facile, nisi magno cum suo malo poßis? Ciuitatis nobilissimæ in te amorem iam dudum non ignoro, sed tu uide ne isti amori nimium obsequaris, potes alioqui bona et te digna conditione in ciuitate tui amantißima uiuere, etiam si nunc id ætatis, scriba nõ fias. Conditio quidem inquis honesta, fateor. Sed te indigna, & tu illa indignius, quia maior es quám ut eo te demittas. Quid plura? ex animo mi Ioachime optime consultum tibi uelim,

lim, qui ipse mihi consulere bene non possum. Rogo ut illas deas, de quibus tam amice scribis ne deseras, quod si facies, nõ solum istam tibi oblatam conditionem, sed etiam omnem aliam quantumuis splendidam fortunam contemnes. Gratißimum fuit mihi, quòd interrogatis quibusdam meis respondisti, gratius multo quòd libellum tibi mitti iußisti, quem & mitto ut uides, quæso q; ut quam primũ poßis huc remittas. Nam hæc prima foetura est, & exemplum nullum aliud superest, et ego suspicabar mendosa esse exemplaria. Quare mi Ioachime hic quoq; fac quod fecisti sæpe, & de nostris nobiscum liberè disputa. Nunc sicut iubes pro Clypeo Coluthũ mitto, quẽ bene colatum mihi, mi Ioachime, remittes quàm primum poteris, ego dabo operam, ut & Clypeum mittam breui. Te saluo labores nostri non periclitabuntur. Saluta nostrum carißimum Micalum & Mylium, & Spenglerum, & nostros omnes. Vale.

Tuus Eobanus.

D. IOACHIMO CAMERARIO *uiro doctißimo amico summo suo S.*

HAbeo tibi gratias mi Ioachime de Colutho nobis diligẽter explicato, quod etiã credo me antea tibi significasse. Vtinamq; coràm tecum sæpe talia meditari liceat, nunc quam uellem longius abes, & ita nos fortuna distraxit, ut tua dulcißima consuetudine priua*

tus semper doleam te mihi non adesse, semper optem tecum esse, Gratulor tibi, quòd studijs tuis molestiß. cōditiōe te leuaueris, uel potius, quòd molestißimā conditionem quantumuis splendidam non acceperis. Videbam enim futurū, ut si accepisses, prorsus & tibi tu & amicis omnibus nobis eriperere. Rogo te quonā non licuit nunc copiosè, nec etiā potui scribere, significes mihi ecquid amicorum adhuc istic nostrorū? Nondum enim satis scire possum, qui uel perierint nobis, uel seruati sint. Post Hœpelli enim mortem uix quicquam accepi de Milio, de Baumgartnero. Scripsit quidem ad me D. Sebastianus Magnus, sed de se tantū, scripsit itē Vincelaus, sed de nostris fabulis, D. Baumgartnerū cui omnia, D. Milium cui plurimū debeo, rogo diligenter saluta. Scribam breui utriq;. Valde enim metuo, ne tanti amici ingratum me esse suspicentur, quia nihil scribam. Item significa uelis ne nunc quoq; atq; an poßis ciuitatē istam deserere, quanquā hoc postremum uelim clam habeas. Nolim enim Ciuitatē optime de me meritam ullo pacto offensam, saluta cariß. nostrū Rotingū, saluta uxorē et totā domū tuā, saluta Guielmū Ludimagistrū Aegidianum, saluta reuerenter D. Lazarum Spenglerum uirū optimum. Sed uide ne rideas, cū tot salut[illegible]s chartam oppleri uideas, quid enim scriberem aliud? Tuas literas auidiß. expectabo. Vide ne aliquis tabellarius sine tuis huc ueniat. Vale mi Ioachime. Erphurdiae 14. Maij M. D. XXXIIII. T[illegible] Eob. Hessus.

Si quid istic noui habes rogo nobis ut communices, omnia apud nos incertißima & non minus uaria sunt, quàm est ipse populus. De Hesso uelim scire quid istic sentiatur.

IOACHIMO CAMERARIO Quest. uiro doctißimo, amico summo suo S.

Quae tu mihi somnia ueteris regni narras? Cum ego aliud somniare non poßim, nisi tenues & inanes epistolas, quod si tibi sic libet appellare omnia quae scribimus, quid scribemus amplius nisi nunc etiam literas famelicas & esurientes? excusaui me de capro et erat uerum. Quod uero nunc excusem tempus? at hoc nullum erat, & ego pridie huius diei in publica promotione, sic uocant enim, bene biberam, & postridie male scribebam. Vt igitur sint literae steriles & inanes, tamen habebis regias, & hoc satis est. Hactenus de literis. Tuus libellus unice me delectauit, quem in consessu publico ostendi omnibus, etiam quibusdam doctis uiris Lypsensibus. Quid uero tu ad ista? uis fieri Medicus? Vide ne idem cueniat quod mihi, & ne nimium sero Camelus saltet, sed mi Ioachime isto studio, studium dico non χειρ'ξεις secundum Hippocratem, nullum aliud est nec utilius nec amoenius, quo ego pro mea mediocritate delector uehementer. De nostro Coluitho

quod nihil alud scribis, nisi accepisse te, & factum iuris publici, atq; hoc ipsum te non expectasse, nescio quomodo intelligendum mihi sit, utcunq; uero tu sentias, hoc dicam, & fatebor semper quicquid est huiusmodi ineptiarum à me profectum, quicquid etiam deinceps proficiscetur te authore & profectum est, & proficiscetur. Nunc ego ad Psalmos relabor. De nostris rebus scholasticis nostro more omnia, id est, male. Hæc ciuitas est ipsa discordia, speramus tamen meliora. De te ego tantopere uetante, tamē non desino, & efficiam haud dubie, nisi me fallunt omnia, reliqua tu intelligis, ut es ualde sagax. De Hesso quid argutaris? quid ego tuæ patriæ minatus sum? an quoniam unus Hessus putat esse ius in armis, ideò tibi omnes Hessi suspecti sunt? non credo, nam me nouisti satis regem quidem esse, sed nequaquam sanguinarium. Iste uero Alexander non uidetur quieturus. Et quid tum Ioachime etiamsi, sed non ego scribā nunc plura, scripturus breui steriles & inanes quidem epistolas, sed tamen copiosius quàm uideo te tam fœcundas & uberes scribere, sed quæ in ipso partu uelut deficiant, & euanescant, hoc est, desinãt, ubi erat incipiendum. Habes talionem. I nunc, & dic inanes esse literas regias. an nescis plenas regibus esse manus? Sed desino. De Colutho rogo te, ut diligentius mihi scribas. Saluta Micalum cui responsum debeo, saluta carissimum Mylium. Hopelli memoria mihi tenacissima est, saluta D. Lazarum Spenglerum uirum

optimo

optime de me meritum, saluta D. Sebastianum Magnum, Saluta Guilielmum ludimagistrum, cum omnibus suis mihi amicißimis, saluta uxorem & familiam tuã totam, & uale in Christo. Erphurdiae 6. Iulij M. D. XXXIIII.

Tuus Hessus.

ERVDITISSIMO VIRO DOMIno Ioachimo Camerario Qu. amico carißimo suo S.

QVid ultimis tuis literis ad me scripseris carißr. Ioachime planè oblitus sum, tamdiu enim nihil scribis, ut mirum tibi uideri non debeat, si priorum obliuiscar, & non uacabat nunc scrinia reuoluere. Hoc memini de Clypeo, non quiescere te, faciam igitur quod uis, sed non sine Theseo te, scis enim aliter me nõ solere. Ego inscribendo poëmate de Heßi uictoria sum occupatus, iubente atq; cogente Philippo, non Hesso, sed illo nostro. Vbi erit absolutum ad te mittã. Scio satis iratum te mihi esse, quod rarius scribam, & breuius etiam quàm uelles. Nunc autem si unquam breuiter maximè breuiter scribẽdum mihi fuit, quod in prandio habiturus eram hospites, qui deuorarent mecũ allium, anseres, & gallinas, & auiculas alias, & cogebam tabellarium aßidere mihi dum scriberem, ferè semper ita accidit, ut occupatum me hic tabellarius inueniat, et ego

semper scripturus, raro tamen ut uides scribo, quod tu pro tua in me benignitate boni consules, dum modo scias de amicitia atq; de amore nostro nihil imminui posse. Te enim quantopere amem habes infinita argumenta. De scolæ nostræ rebus in præsentia scribere nihil possum, quòd omnia adhuc sint in certißima. Sturtiades & ego facimus frequentem tui mentionem, sed ultra uota honestißima transcendere non possumus. Accepi nuper à Thoma literas, cui respondebo breui, minus occupatus. Ne uero metuat, ne Regem amittat, qui uos aliquando istic iuuisset, et Regno suo prouidebit aliquo modo. Viue ac uale mi Ioachime, & ignosce huic festinationi ineptißimæ, emendabo hanc negligentiam breui aliqua diligentia. Nā animus est cum omnibus semel istic amicis, præcipue D. Hieronymo Baumgart. ac Mylio tibiq; mi Ioachime copiosè scribere, quos omnes & nostrum carisß. Micalū, cum uxoribus salutabis diligenter. Iterū uale. Erphurdiæ 20. Sept. M.D.XXXIIII.

Tuus Eob. Hessus.

DOCTISSIMO VIRO IOACHIMO Camerario Qu. amico immortali suo S.

IGnosce mi Ioachime, & da ueniam non tam negligentiæ meæ, quæ in colenda nostra amicitia certè nulla potest esse, quàm naturæ in hoc ualde uiciosæ, quod ad scribendas literas est multo quàm debuit esse ignauiꝰ

or. Parabam statim superiori tuæ epistolæ elegantißi-
mæ respondere, et aliquid, si possem, tuo iustißimo do
lori cõsolationis adhibere scripto, quod postulare uide
baris epicedio. Sed abierat citius q̃ existimarã abiturũ
tabellarius, et interim huc reuersus me nõ adijt, sed me
abijt ignorãte, fortaßis qa nihil erat illi apud me nego
tij, quod á te ut suspicor, mihi subirascẽte literarũ nihil
attulisset. Ita factũ est, ut scribendi Epicedij laborẽ sem
per, ut soleo, differrem in crastinum, et scribebã manda
to Philippi de Philippo, quẽ ad te mitto quo in libello
non credo inesse uersum aliquem ὑπερμήκη, cum tamẽ
multos inesse sciam peßimos, & qui Onomasto, et mul
tis alijs, addo etiam tuo Puniceo ualde sint displicitu
ri, de quo uiro mi Ioachime cur quæris? an tanti facis,
ut dignum ducas quo cum rixere? nunquid ego sæpe tibi
dixi solere hoc silicerniũ peßime iudicare sæpe de opti
mis? Quid tua re fert si uetulum canẽ angit tua fama &
inclita eruditio? an tibi æquo animo cedat qui nulli ce-
dit? ne expectes. Quanquã uerò et ego iniquißimo ani
mo patiar istas de te improbißimas calumnias cõfingi,
tamẽ sapientius nos facturos existimo, si feramus q̃ si ex
postulemus cũ ista larua quicquid hoc iniuriarum est,
nec enim & mihi satis æquus est, ut scis & ipsius ἄνθη
satis produt, floret enim nũc, si dijs placet, qui quotidie
moritur & contabescit. Ne cõmittas mi Ioachime ut à
pulcherrimis tuis et utiliß. studijs te absterreat homo in
nulli utilis. Ellum autẽ cui tuæ Lacunæ displiceãt, quid

tum

tum? quid item mirum? at placent alijs, imò placent bonis & doctis omnibus, an nostra studia pendent ex isto Aristarcho? haud equidem existimo, nam & nos etiam sine hoc aliquod nomenq; decusq; gessimus, nec tu es adeò informis. nuper te in littore uidi. O formose puer, cur tantum credis Erythro? Quin hoc agimus, ridebimus etiam Clitellarium, quid enim fecerimus rectius? nisi enim rideamus, uereor ne irascamur fortè & scribamus Tragœdias.

Dij prohibete minas, Dij talem auertite pestem,
Ne noceat nobis Deus ille inuictus Erythri.
Nobilis ille Deus, sed tamen ille lapis.
Saxeus iste Deus, Luridus iste senex.
Sic ego ridebam fatui ludibria fusci.
Cum mihi Spengleri fata dolenda forent.

Sed consolabor aliàs & commodius te in tanto luctu, qui communis nobis esse merito debet, fuit enim utriq; amicißimus, quanquam in talibus casibus quid noui patimur, cum idem simus paßi in Hopello amisso? Super est ut Deum oremus, ut quàm diutißime nobis conseruet Hieronymum Baumgartnerum, ut nostræ literæ aliquem istic patronum habeant, quanquam habent & alios, sed hoc neminem, neq; doctiorem, neq; ueriorem, non enim sum oblitus optimorum uirorum Coleri, Magni, Gauderi, quos omnes rogo meo nomine officiose salutes. Et D. Ioannem Mylium, & Vincelaũ Nicodemum meum. De meo libello rogo te, rescribe

quid

quid sentias. Rogo ut mihi mittas aliquid speculorum, quibus nos, ut scis super naso collocatis, ut quæ absunt longius cõspicere possimus, sæpe risum mouemus Lynceis istis, hic reperiri nequeunt. Vale mi Ioachime Cariss. & ignosce hijs ineptijs, tecum enim libẽter ineptio, non enim possum aliter, & facile facio, quod semper facio. Quid agit noster Micalus? admoneto optimũ uirum, ne suspicetur me Papistam fieri, etiam si Papistica uina bibam. Iterum uale cum tuis omnibus. Erphurdiæ postridie omnium sanctorum M. D. XXXIIII.

Tuus Eob. Hessus.

D. IOACHIMO CAMERARIO
uiro doctiss. amico summo suo S.

NOn potui heri ualde occupatus conuenire Sturtiaden nostrum sicut constitueram, nam ipse per literas significauerat mihi accepisse à te literas nescio quas, aut per quem. Nam ad me non uenit siue ille Verdensis, siue alius quispiam est tabellarius, & tamen cũ hic Typographi Haganoensis Statius esset nobiscum, & hodie mane abiturus, scribebam, quanquam heri bene potus, ante lucem ne nihil scriberem. Quid est uerò aduersæ tibi ualetudinis mi Ioachime? ita enim heri scripsit ad me Sturtiades. An adhuc isto cruris malo labores, an aliud quiddam acciderit ualde scire cupio, non enim secus aduersis tuis doleo, quàm lætor secundis. Redde igitur obsecro me de hijs rebus certiorem. Habeo

beo tibi magnam gratiam pro mißis ad me speculis, quæ tu, ut uideo meo uocabulo apellas κωνοχίσματα satis tamen pudice, Quia Græcè. Quid uero istic nunc de schola uestra? an adhuc est aliqua, mortuis tot iam bonis uiris eam olim fouētibus? Quid noster Micalus? Valde gaudeo uxorem tuā filiolum tibi esse enixā. Si quid aduersæ est ualetudinis tibi ualde doleo. Nobiscum salua sunt omnia, nisi quod resp. malè, ut scis administratur, & disceptatio ciuitati est cum Moguntino Episcopo, quam ob causam aliquot iam hebdomadas hic agunt duo commissarij Cæsaris, quē finem sit hæc res habitura non uideo, nisi quod aiunt maxima pars eo rem duci, ut omnia iura Episcopi quæ habet in hac ciuitate uendantur principibus Saxoniæ & Heßiæ: quod si fiet, habebimus amissa libertate multos dominos, id quod nuper Molhusio quoq; accidit. Philippus nuper nobiscum erat ad Hessum proficiscens, & inde rediens comitatus optimis uiris qui Reginam meam honorificè donarunt, sicut & ipse Philippus, tui ualde amanter meminit. Nihil habui quod noui ad te scriberem. De rege Monasteriensium, & tota illa abominabili secta credo uos scire omnia. Saluta amicos omnes. Scripsi festinanter, cum properarem etiam ad lectionem publicam. Scribam aliàs plura. Vale mi Ioachime & nos ama. Erphurdie 13. Ianuarij M. D. XXXV.

Tuus Eob. Hessus.

DOCTISSIMO VIRO D. IOAchimo Camerario amico longo charißimo suo S.

Nihil mirum, nihil etiam nouũ facis mi Ioachime, si nulla malignitate, sed tantum doloris sensu ad monente inuides nobis Philippi ad nos itiones & reditiones. Sic enim scribis, quanquam non ita multum dolere te oportuit, qui nisi quod corpore non aderas nobis totus nobiscum uersabaris, totas cœnas, tota conuiuia nobiscum peragebas. Sed interim ille non rediјt, sicut promittebat breui se rediturum, conijcio uero Saturnalia ipsius reditum ad nos fuisse demorata, atq; etiam nuptias Pontani nuper apud Genam celebratas cum nescio qua uirgine, quibus et ipsum Philippum & Lutherum interfuisse dicunt. Gaudeo ualde meliore te ualetudine esse, quàm fueris hactenus, spero sicut scripseram superioribus literis, illud malũ in pede desiturum esse, cum eo usq; descenderit, unde iam amplius descendere, nisi prorsum euanescat, nequeat, et mihi pergratũ est, quod nostra iudicia cõueniunt, de cura Xylina. De caldaria sicut scribis, deliberabis amplius, nam & ipsa haud dubie uehemens est. Sturtiades & ego hijs Saturnalitijs diebus unà fuimus, sed & tu nobiscum, quando enim tui mentionem non fecimus? uel quando non facere possumu, tuæ salutis magis q̃ nostræ solliciti? Rescribe præterea nobis quibus nunc istic familiarissimis

ſimis utare, & qui homines in loca amiciſsimorum no-ſtrorum Spengleri, & Hopelli ſucceſſerint, & quid de ſchola ueſtra fiat. Noſtra mediocri in ſpe eſt, & haud dubie peruentura ad florem aliquem, ſi homines præeſſent ſapientes & amantes patriæ, qui nunc nulli omnino ſunt, atq; adeò nulli, ut obſint potius quàm proſint, qui prodeſſe rebus afflictis, et debuerant, & poterant plurimum. Tempus γενέσεως noſtræ, quòd habere omnino te uelle cum ſumma mea uoluptate ſcribis, tale certo certius eſt, quale his incluſum mitto per iuniorem Herosbachium explicatum, de quo tu iudicabis rectius cum noſtro Schœnero ſi modo ille dignabitur nobis hac in re dare operam, id quod tua magis cauſſa quàm mea ipſum facturum confido, θεμάτια hæc remitte precor cum tuo iudicio, ſaluta amicos omnes, Baumgartnerum, Mylium, Micalum, Vincelaum. Erphurdiæ poſtridie Saturnalium, M. D. XXXV.

Tuus Eob. Heſſus.

DOCTISSIMO VIRO IOAchimo Camerario amico ſummo ſuo S.

AD decimum quintum diem Iunij, accepi tuas literas mi Ioachime, eo ipſo momento penè quo Sturciades noſter proficiſcebatur ad montem Annæ. Itaq; ſtatim communicaui cum eodem quæ ſcribebas

de

de oblatis tibi conditionibus ab Ducibus Vuirtenbergensibus & Saxonicis, quæ res nobis & placuit & displicuit, hoc placuit quod de Saxonibus scribis, de Vuirtenbergensibus non placuit, neq; nobis faciendum uidetur, ut illis te locis, resq; tuas committas, recederes enim à nobis, quod minime nolim, longius, nam alia quæ nos mouent, quæ tibi in mentem uenire puto, non scribam. Omnino Ioachime si animus tibi est conditionem mutare, conferes te multo rectius & sapientius nostro iudicio, in Saxonas q̃ in Sueuos. In illis enim & eris nobis uicinior, & cum notis melius uersaberis, & me fortaßis habebis socium, nam & ego inuitor, sicut non ignoras, inuitatum etiam ante esse. Hæreo quidem hic pertinaciter magis ac libenter quàm, sicut audire te scribis commode satis, quanquam etiam, ut uerum fatear, nõ incõmode, nisi quod nõ stant promißis omnes, & bona ex parte uiuendum est mihi cum idiotis hominibus, & nostri parum amantibus. Sturtiades & ego ægerrimè ferimus nulla ratione nos efficere potuisse, ut huc te adduceremus, & ob hoc ipsum libentius multo pateretur te redire in Saxonas, quàm abire in Sueuos, in hos enim nullo pacto, in illos aliqua ratione te sequi possem. Spero fore ut iterum aliqua nos fortuna coniungat, modo Sueuis ne obsequaris. De me diuum pater atq; hominum rex uiderit, dum modo te recipiamus, saluum & incolumen siue in Saxoniam, siue in Thyringiam, quæ sub uno principe sunt, & quam tu

malles terram, & an tibi gratior ulla sit, quàm quæ magnanimum tibi continet ora Philippum? Habes sententiam tui amantißimorum hominum Sturtiadæ & Eobani. Nam sic scribere me abiens Sturtiades iußit simul significare tibi ipsum abijsse in montana, cupereq; scire, num Mathematicus pecuniã nuper missam acceperit. Valde cupimus dare te operam ualitudini curandæ, & ut quàm rectißimè ualeas, affligimur enim & nos nõ minus quàm tu ipse, si quid aduersi eueniat tibi. Quas thermas spectas? Si Boëmicas illas, scito Sturtiaden uenturum ad te, & me quoq; fortaßis, sed tu de optimis cogitabis. Vale mi Ioahime, & rescribe quàm primum ecquid tibi nostra consilia placeant? 15. Iunij M. D. XXXV.

Tuus Eob. Hessus.

OPTIMO VIRO IOACHIMO Camerario, amico Cariß. suo S.

CVm iam esset abiturus tabellarius, multo tamen serius quàm ego existimaueram, misit ad me Sturtiades tuam ad se scriptam epistolam, qua lecta intellexi mi Ioachime, laborare adhuc te malo ueteri, atq; id non modo non minui, sed augeri etiam atq; nunc in pedes, ac talos descendere, teq; cogitare de uiolẽto aliquo remedio, quod consilium tuum ut non improbo, sic de Guaiaco ualde suadeo ne experiaris, quanq̃ enim nondũ

ſum collocutus cũ Sturciade, tamẽ ſcio uiolentam ualde eſſe medicinã eius ligni, quam uix ferant etiam robuſta corpora, cum tuũ ſit paulò tenuius. Thermas feras for tè facilius & leuius, Memini quoſdam dicere Huttenũ diutius potuiſſe uiuere, ſi ligno illi non credidiſſet nimium. Vtere omnino conſilijs doctiß. Medicorũ, quicquid ſtatues mi Ioachime. Sturtiades & ego dabo operam ut perueſtigemus omnia, quæ putauerimus tibi poſſe conducere. Sed quoniam hoc malum in pedem tandem defluxit, quid ſi per pedem abeat, cum iam amplius quo defluat non habebit? Mihi bona ſpes fit, ita ut ego conijcio futurum. Da operam ut te nobis conſerues optime Ioachime, & conſeruabit te nobis Deus cui credimus. Tenuit me hic Tabellarius, ne Sturtiadẽ accederẽ, aderant & alij aliquot boni uiri, & ſtatuo etiam nunc prandere apud Sturtiaden, quicquid colloquemur ad te perſcribam, prima quauis occaſione. Hæc ſcribebam inter pocula antemeridiana, Sic enim me affecerant tuæ literæ, ut etiã ſemipotus ſemilatinas literas ſcriberem. Niſi nunc tot Sturtiadarum γενέσεσι eſſes occupatus, grauarẽ, & ego te mea. Iam enim certus ſum quo anno, quo die, qua hora natus ſim, quarum omnium cum tecum eſſem, eram incertus, & tamẽ tuis coniecturis multa etiam hic reſpondẽt, Sed de hoc aliàs. Saluta D Mylium, cuius frater Georgius nuper ad me ſcripſit, miſſurum ſe huc, ſi ego probem,

ad me filios suos quatuor, quod ego illi rescripsi ut audacter faciat, hoc dices nostro Mylio. Saluta optimum uirum Baumgartnerum, cui & uobis omnibus breui scribam. Quid accidit obsecro Mathematico, an idem quod mihi anno superiori? Vale.

Tuus Hessus.

DOCTISSIMO VIRO DOMIno Ioachimo Camerario Qu. Bombergen. amico nostro charis. ac incomparabili S.

Possumus idem quod tu queri noster Ioachime, tabellarium illum, quem solū, ut scribis, tu ad nos, & nos ad te habere possumus, serius ad nos uenisse. Sed hoc tamen nos in te multò rectius & uerius retorquemus, tibi scilicet occasionem scribendi nullo ferè momēto potuisse deesse ex tam celebri urbe, innumeris penè quottidie in uniuersum orbem discurrentibus, cū ex hac nostra Babylone perpauci & rarò ad uos commeent. Hæc igitur si rectè consideres, desines, opinor mirari, quî fiat, ut iam aliquot diebus nullas ad te dederimus. Sed ista uana omittimus libenter. Nos ut uoluptate magna afficiunt tuæ literæ, sic etiam perturbat, si quid insit aduersi, quod te angat, quale nunc significas de tua ualetudine nondum satis, ut ualde inuiti intelligimus, curata. Quid uerò molestiæ in lectua

lum

lum reiectus pertulisti? Scribis enim subobscurè, quo modo res ad solitum redijt? nihil ne melius? ad solitum enim non libenter audimus. Istud uerò tuum ἀσωθέτοῦ edo, scribo, conuerto, insanio, affecit nos singulari uoluptate & tamen non potuimus non ridere cum scriberes insanire te, hoc enim quid esset, uix uidebamur intelligere posse, nisi quod suspicabamur te poëtari nonnunquam, hoc enim certè insanire est, hoc maximè tempore, quo totus mūdus uel insanit, uel malos uersus facit. Sed tamen perge sic insanire noster Ioachime, pariet aliquam haud dubie utilitatem tua istaec insania nobis, libet enim nobis quoq; sed cum Virgilio nostro insanire, hoc modo quo tu, quanquam hoc modo non possumus. Oro te, hoc enim peculiariter ad me pertinere existimo, quid conuertis nunc, nam insanire tuum satis arridet, quid conuertis? Vtinam quae ego maximè uellem, & tuo isti non displicerent, ne semper ille haberet quod diceret, explere te lacunas in Theocrito, nam de Hesiodo ualde gloriose mentitus est, sed desino nugari. Meae γενέσεως ἐνιαυτὸν utinam talem non essem expertus anno superiore, qualem tu hoc futuram significas. Arbitror enim scire te quali casu penè uitam amiserim. Potest enim fieri, ut uno ego anno sim iunior, q̃ esse me existimaram, hoc per Dei gratiam adhuc nihil mihi aduersi accidit, futura in manu Dei sunt. Velim tamen diligentius ubi ociosior fueris, ut facturum scribis, eam rem nobis consideres ac peruestiges. Haec ad

me D. Sturciades noster rogat ut γένεσιν fratris germani ipsius Michaëlis Sturtiadæ maturet Schonerus, habiturus eius laboris & curæ & se & cura ista dignam mercedem. Vides certè ut ipsius & meo nomine hæc ad te scribam, tuum scilicet exemplum imitatus, et illo sic uolente, cui parere scis quàm suaue nobis sit, cum nihil molestum imperet. Nihil æque ac tuam dulcissimam præsentiam & conuictum optamus, sed uota tantum hæc sunt.

Quæ si contingant nobis, iam nostra uoluptas
Quæ sine te nulla est, plena futura fiet.
Atq; utinam posses Pegnesida deserere urbem,
Pulchraq; Thyringæ rura uidere plagæ.
Saltem ut te sineret, melior fortuna sodales,
Visere amicitiæ pignora chara tuæ.

Vides ut à natura non poßim recedere cum tecum fabulor. Mitte obsecro aliquid tuarum ad nos eclogarum, nam id quod misisti perdidi, & hoc ipsum uehementer rursum uidere cupio. Guilielmus bene mecum est cum quatuor nobilibus discipulis, quorum unus est nostro Stibaro consanguineus, quem & ille huc misit, de alijs nihil attinet scribere. Te scio Huttenos et Truchsesios omnes ferè nosse. Quales accersat Musicos Vuirtebergensis, etiam si tales qualem illum esse aiunt, accersat, quid ad nos? τοῖς ὑαλινοῖς ὀφθαλμοῖς libenter utimur, eodem scilicet morbo laborantes Vuilhelmus & ego. Sed iam tibi molesti non erimus aliquan

to tempore, nos uicißim aliquid aliquando mittemus, cū ditiores erimus. Saluta amicos omnes noſtros meo nomine. D. Baumgartnerum inprimis, cui unimortalium tantum debeo, quantum perſoluere non opis eſt noſtræ.

Dij illi ſi qua pios reſpectant numina, ſi quis
Vſquam iuſtitiæ locus eſt, & præmia recti
Præmia digna ferant.

Sed cogitabo tamen ut intelligat uir optimus non eſſe me ingratum, quod unum crimen ſemper odi cane peius & angue. Micalum charißimum amicum noſtrum, & Mylium ſaluta ualde reuerenter, cuius fratris filios quotidie expecto, quos ſe ternis literis miſſurū ad me ſcripſit. Saluta Dominum Sebaſtianū Magnum arcis ueſtræ præfectum, amicum charißimum. Thomam Lapum Florentinum, & D. Georgium Geuderum uiros de me optime meritos meo nomine, ubi per occaſionem licebit mi Ioachime, reuerenter ſaluta Vinceslaum item & Venatorium, noſtros breuiter omnes quos ſcis mihi carißimos eſſe. Saluta uxorem tuam meo & Reginæ nomine. Petebam proximis literis, ut quis in locum Spengleri & Hœpeli noſtri ſucceßiſſet mihi ſignificares, ſed aut oblitum te, aut non uacaſſe tibi conijcio, quare reddes me de his rebus alias certiorem. Velim item ſcire quo in ſtatu ſcola ueſtra ſit, et an omnino adhuc aliquam habeatis, quæ me abeunte pene nulla fuit. Nouarum rerum nihil hic habemus, niſi ea quæ tibi ſunt notißima, nam in iſto orbis theatro quid

nesciri quæso potest? De meis studijs si quæris, scito me factum iam esse Psalmographum. Statui enim semel totum absoluere Psalterium, qualicunq; modo possim, ut isti cariss. quidem, sed tamē molesti admonitores perpetuo mihi molesti esse desinant. Scripsi hæc cum essem iam cum Sturtiade pransus, paulò post etiam cum eo cænaturus, sed tamen non post fanum putre uacunæ, ut ille ait, sed in regia ueteri & noua. Vale noster Ioachime, & cura ut ualeas, nihil enim tam optamus, quàm ut tu quàm rectiss. ualeas. Rescribe diligenter nobis de rebus omnibus tuis & alienis, quæ tamen existimes ad nos posse pertinere. Erphurdiæ postridie Martij M.D.XXXV.

Georgius Sturtiades.
Vere tui
& Eobanus Hessus.

DOCTISSIMO VIRO IOACHImo Camererio Qu. amico longè carißimo suo S.

ACcepi tuas literas in conuiuio celebri, quæ hoc ipsum reddiderunt multò celebrius, quoniam omnibus qui aderant legendas dedi, & tamen contristarunt nonnihil me, quod uidebam te nobis inuitis ualde & nolentibus arripi Tubingam, amantiores enim tui Sturtiade & me non potes habere alios, probemus

igitur

gitur necesse est, ut tu quoq; scribis, quod factum in
fectum fieri iam nequit. Verum breuitati tuæ subirascor, quòd non significaris omnia ut suspicor, nam hac
hora qua hæc scribo literas accepi Vuiteberga, Thomam Venatorium tecum demigrare, adeo prius scitur
Vuitebergæ quàm Erphurdiæ, quid instituas. Librum
tuum nondum satis potui perlegere, aspexi tamen & risi, quod tanta tibi res cum aliorum erratis sit. Vide ne in
Melampygum incidas. Deinde quod uersus facis, uide
ne aliquis clamitet, plus curæ te quàm naturæ habere.
Rides aut indignaris? Mihi certe tua cura multipliciter
multorum natura potior fuit, est & erit. Hæc igitur tu
nihil prorsus cures censeo. Ego mi Ioachime, ex animo
primum tibi fortunam istam splendidam sanè his temporibus, sed nequaquàm quantum tu mereris gratulor?
imò gratulamur Sturtiades & ego numeris omnibus,
precamurq; Deum, ut id consilium tuum tibi tuisq;
omnibus quàm felicißime cedat, & pulcherrime uotis
tuis omnibus respondeat, quanquam maluissemus Vuitebergam potius quàm Tubingam, Saxonas quàm Sueuos elegisses, potuisti nobis fieri uicinior, carior non
potuisti. Sed quoniam iacta est hæc alea, quid optare
possumus, nisi ut quàm felicißime cadat tibi nobisq;?
Ego nunc in transponẽdo Psalterio totus sum, & omnia quæ possum ad eam rem perficiendam, (quæ quanta sit non ignoras) Vndiq; conquiro auxilia. Vidi olim
Norimbergæ libellum Psalmorum, à quodam, ut opi

nor, Gallo, Carmine Elegiaco scriptum, quem hic repe rire non possum, eum si tu Norinbergæ aut alibi reper tum mittere ad me posses, faceres mihi rem longe gratis simam. Vuitebergæ pestis incipit grassari, schola trans fertur Ihenam. Princeps Elector, senex uita tandem de functus est. Sturtiades cum suis omnibus rectè ualet, & quotidie coëmit noua prædia, & parat multa Lati fundia, & tamen manet noster, te salutat et omnes tuos ualde amãter. Scripsissem plura, nisi languissem ab he sterna defatigatione meo more. Non enim tibi ignotus sum. Deinceps ad nos scribes, ecquid tibi cum fortuna mutata, & cum tuis Sueuis conueniat. Vale. Erphur diæ, postridiæ Alexij. M. D. XXXV.

Tuus Eob. Hessus.

DOCTISSIMO ATQVE OPTI mo uiro D. Ioachimo Camerario apud In clytam Tubingam amico carißimo suo S.

NOn possum non fateri negligentiam meam carißi. Ioachime, qui tot, tamq; elegantibus, addo etiam amicis Epistolis & carminibus tuis uel parum, uel ra rius quàm debebam responderim, nam omnino nihil me scripsisse tibi manifestæ calũniæ est, nisi fortè meæ tibi nõ sunt redditæ, et erat iamdudũ animus hodieq; est e legantißimo tuo Carmini, si non pari, aliquo, tamen

tali

tali offitiose respondere, idq; breui, nã nunc non licuit, cum tabellarius festinaret, miror uerò qui factũ sit, ut Carmen hoc serius mihi q̃ oportuit redderetur, quanq̃ hoc si mirer fortasse sit improbum: tanta inter nos locorũ interueniente distantia, sed tamen cũ à te mense decembri fuisset scriptum ante Februarium, utiq; ad nos peruenire potuisset. Quid tum mi Ioachime, ne quæso per humanitatem & eximiam eruditionem tuam, ne quæso permittas tibi ullo pacto, de me quicquã suspicari, quod amicitiæ nostræ diu iam sanctißimeq; semper cultæ, ullã poßit maculã aspergere. In proximo siquidẽ epistolio sic scribebas, Te siue nos ut quondã ames, siue forte nobis irascare, ualere cupio. Deũ immortalẽ quid audio? ego te non amem Ioachime, quem etiam grauißimè læsus odisse nequeam? Irascar uero? quã de caussa precor? quod unquam argumentum, quod factũ meum, quod scriptum intermissæ amicitiæ deprehendisti. Sic rarius ad te scribo, mea id nonnunquam culpa fieri aliquando Tabellariorum, tu qui & uitia & uirtutes (si quæ sunt) meas penitus nosti existimare debes, & dare ueniam uerè & candidè simpliciterque te amanti. Vidisse te iam credo libros Syluarum nostrarum, quos Petrus Secerij gener Haganoæ excudebat, & proximis superioribus Nundinis per totam euulgauit Germaniam. Illos libros dum aspicis, si forte aspicis, rogo te per Musas, potes credere eum qui

sic

sic, ut ego de te scribat, tui posse obliuisci? Tibi ò mi Io achime quàm mihi istuc uerbū (quod plane abominor) odiosum facis, irasci? Ego si in iudiciū, ut interim meo more tecum iocer, me adduxeris, sic innumerabilibus te stibus conuincam, improbè te mecum agere, ut non so lum causam me uicisse pronūciaturus ipse sis, sed etiam te ipsum graui pœna dignū fateare. Vrbs ea in qua nūc uiuis non capiet eos testes quos egò mecum adducturus sum. Qua igitur fronte? qua impudentia, audes me reū facere uiolatæ amicitiæ, qui non solum nō accusandus sed etiā laudandus sim, quòd omnibus gētibus fortè et iam sæculis clarū fecerim, summo amore, summa fide, summa te constantia semper à me cultū & obseruatū. Possum cuiusuis criminis citius fieri reus, quàm præua ricatæ amicitiæ, hanc culpam quantum quidē ad te atti net, nec ferre possum, nec agnoscere. Vides igitur quàm periculosum sit de Poëtis, præcipuè, de Eobano sic sen tire, quod caue deinceps facias, alioqui si pergis, mittā laqueum tibi ut suspendas te. Sed quia iam satis tibi me purgatum esse, & te pœnitere falsæ de me opinio nis puto: uenio ad alia. Epigrāmata tua, sicut iubes, ro gari enim abs te non sustineo, latina faciam quàm pri mum fuerit ociū, quòd erit iam quoq; & aliàs quando cunq; licebit, & fortasse etiam ea quæ tu non signasti reddam ut potero, reposito interim Dauide meo, in cu ius Lyricis uertendis in Latina carmina, tā Luthero & Philippo impulsoribus totus adeo sum, ut uix aliquid

aliud scribere libeat, & iam centum & aliquot Psalmi absoluti sunt, sed in tuam gratiam quiescet aliquot diebus ille Lyricus, ut tibi delirem interim, transmittam quàm primum potero, nam & ego ut scis, eiusmodi argumentis ualde delector. Sed quod tu petis ad Calend. Aprilis tibi remitti, qui potest fieri, cum hodie mihi qui est dies post Calendas Aprilis quintus, primum redditus sit libellus, continens ea Epigrammata ab Cursore Norico, quem nosti Henricho? Hactenus de Epigrãmatis. De me rebus q; meis si quæris mi Ioachime, & ego conditionem hanc Erphordiensem mutaturus sum breui, et forte hoc anno: Vocatus ab Hesso nostro liberali, ut ipse princeps pollicetur stipendio, nondum tamen certus, quanto, sciturus breui à Paschalibus ferijs. hoc meum consilium Philippus non improbat, nam huius scolæ restituendæ nulla spes est, ita per summam nostrorum ignauiam, ne dicam stultitiam atq; improbitatem res ista negligitur, quanquam sunt qui sperare audent posse me retineri, quod fieri nunc accepta penè conditione quanquam de salario, & alijs nondum conuenimus, nõ potest. Ipsius principis inter alia fuerunt & hæc, omnino nos secum esse, neq; in eo ut nobis potiatur ullis sumptibus parcere uelle. Hæc tibi nõ ingrata esse, certo scio. Propterea ut de amico gaudeas scribo ad te. Philippus nuper ad me scripsit longam & uerbosam epistolam, in qua fuerunt & hæc uerba. Heri accepi literas à Ioachimo, satis hilariter scriptas,

ad quę, cum ut cõstitui proficiſcar, te quoq; unà ducã, non enim puto te ualde repugnaturum eſſet et iam iter ingrederer, niſi me adhuc retinerent Anglicæ diſputationes. Vides igitur Ioachime fieri poſſe ut Tubingæ quoq; quod uix ſperaſſes, me ſis uiſurus. Noui nihil nobiſcum eſt, quod ſcriptione ualde dignũ ſit, niſi hoc dignum exiſtimas, quod ſcire te referat. Vina apud nos eſſe uili precio, quorũ optima tribus nummulis noſtratibus uenæunt, pleraq; duobus, noſti autem menſuras noſtras. mihi nihil iam dolet quàm quòd uina Thuringica relinquenda ſunt, ea enim his annis aliquot Rhenenſibus præfero. Scio hic ridebis, cum uidebis meam me cauſſam agere, mihi certè multum Pſalmis meis, & reliquis lubricationibus detrahunt, ſed meos iocos noſti. Tibi faxit Deus, omnia ſicut ſcribis ſperare te, ut uoles, eueniant. Breui plura ſcribam, ſaluta meo nomine doctiſſ. Virum D. Bart. Amantium mihi non ignotum, & tuum Appianum fama eruditionis eximiæ tantum cognitum, & quoſcunq; habes iſtic amicos noſtra ſalutatione dignos. Saluta Vxorem & totam domum tuam meo & Reginæ nomine, & Vale 5. Aprilis. M. D. XXXVI.

Tuus Eob. Heſſus.

OPTIMO VIRO D. IOACHIMO Camerario Amico incomparabili ſuo S.

Tametſi

TAmetsi dubitabam mi Ioachime an hic Bernardus noster ad te esset peruenturus, cum proficisceretur à Philippo ad Philippum, quod quomodo tibi sit accipiendum, haud ambigue intelligis, tamen dabam illi has ad te sane perbreues, sic enim cogebat temporis ratio. Scripsi nuper Cariß. Ioachime de mea ad Hessum uocatione, quæ iam res adeò certa est, ut sperare etiam audeant, ubi me attraxerint, te quoq; posse adduci, ut aucto salario deficias ad Hessos ab Sueuis tuis. Sed Hæc res θεῶν ἐν γούνασι scilicet posita est, ego tibi optimam istam conditionem ualde gratulor mi Ioachime, tuos uersiculos nondum conuerti, uersurus breui relicto interim Dauide meo. Nos nunc ego & Capella Heßiam spectamus. Tibi optamus omnia ut ex animi tui sententia eueniant. Saluta omnes tuos & nostros, Bartolomeum Amantium, uxorem & totam domũ tuam, etiã Reginæ meæ nomine. Vale mi Cariß. Ioachime & nos ama. Erphurdiæ 24. Aprilis M. D. XXXVI. Reliqua tibi coràm si fortè ad te peruenerit Bernhardus, omnia narrabit. Iterum uale.

Philippus iam iterum ad me scripsit, breui fore, ut ad te ipse ueniat, & ut ego quoq; interim ad eam profectionem me parem. Nam omnino me secum ducturum scribit. Iterum Vale.

Vere tuus

Eobanus Hessus.

Doctißimo

DOCTISSIMO VIRO D. IOACHIMO Camerario amico Incomparabili suo S.

EGo uerò mi charißime Ioachime tam agnoscerem libenter culpam, quam tu obijcis, si in hac optima erga te uoluntate ullā inesse culpam intelligere possem. Nam mihi ad te scribendi occasio uel nulla offertur, uel tam angusta, ut scribere non liceat. Scripsi Erphurdiæ bis ad te, sicut tu ipse fateris in quadam ad me epistola, cuius nunc uideris omnino oblitus, adeò aperte accusas nihil me scribere, donec Tubingæ agas, quod quam ob causam facias, suspicari non possum, nisi forte ratione ista citius te literas à me extorturum existimas, quod tamen q̄ non sit difficile à me impetrare teipsum testē appellare possum, quem etiam tunc cum unà uiueres tantum non occidi quotidianis ineptijs. Vidisse te opinor libros Syluarum. In quibus mi Ioachime nunquid uiuit uigetq; ac etiam spirat nescio quos præcipuos affectus amor in te noster? adeo ut in istis sex libris nemo quicquam magis admiretur quàm fidem utriusq; toto quinto libro, qui etiam si non esset tibi nominatim inscriptus, nemo tamē tantum esse dubitare potuisset, expressus adeo ibi, non dico totus, sed solus est Ioachimus. Quæ cum ita se habeant, quibus obsecrò alijs eges testimonijs meæ erga te perpetuæ ac constantißimæ amicitiæ, & fidei summæ. Sed mitto hæc, ma-

lo enim uideri nocens esse tibi, quàm culpam ut tu uis semel agnitam deprecari. Qui has tibi literas reddidit ô Ioachime noster, homo est propter eruditionem eximiam & uirtutes alias quibus abunde praeditus est, amicitia tua dignißimus Casparus Rudolphus, in ea terra in qua nunc uiuis natus, sicut ex ipso intelliges. Huic Scolæ Martiburgensi nobiscum praefectus, hoc ego uiro sic familiariter utor, ut me ipso altero, ut fratre cariß. usurusq; sum quàm diu Deus unà nos esse permiserit. Ab eo plurimum me amari non obscure intelliges, tam sum certus ipsius erga me fidei, hic tui uidendi cum esset cupidißimus, & in patriam proficisceretur, has illi ad te dedi, ne eam bonã occasionem praetermisisse me tu posses stomachari, sicut soles, tanquam uera amicitia non alijs constet, quàm mutuis tantum scribendarum literarum offitijs, cum ego iamdudum quantum quidem in me fuit, effecerim, ut amicitia nostra non modo omnibus esset notißima, sed etiam immortalis. Quare uide ne pudere te debeat obliuionis, qui toties mihi neglectam amicitiam obijcias, tanquam animum loco aut conditione mutarim, quod de me ne suspicari quidem unquam debuisti, qui tam noris me quàm te ipsum. Relabor imprudens ad ea quae paulo ante omittenda esse dixi. Tu noster Ioachime quoties ad nos scribis, nullam mentionem de tua ualetudine facis, de qua tamẽ ego praecipuè sum sollicitus et anxius, & audire nihil malim, quàm ualere te quàm rectißime,

me, & fortuna esse optima, & cum optima coniuge ac liberis cariß. Literæ quas ad Adamum nostrum dedisti, non placent, & spero interea te conualuisse, de quo diligenter ad me scribes, et significabis per Casparum nostrum, nam is breui ad nos redibit. Spero omnia læta de te allaturũ. Quod ad me attinet, ex Casparo melius audies, q̃ me scribente poßis intelligere. Hijs sanè diebus iam aliquot sum occupatißimus in adornando Psalterio, ut iterum & emendatius excudatur cum deprauatiß. ut uides, sit æditum. Argumenta adieci in singulos Psalmos singula tetrasticha, hoc est, uersus D C. Et Homeri libros quinq; priores Iliados, quos scis Norinbergæ me latinos fecisse, excudendos dabo, quos nunc describo, ut ad nundinas, ad quas profecturus sum deferam. Bucolica item nostra, quæ Norinbergæ, ut meministi, homini nescio an probanti studium nostrum inscripsimus, hic opinor excudentur alij inscribenda. Miserunt nuper ad me amici nostri Vuitebergenses in Psalterium ô Ioachime si uideas clarißima testimonia, Lutherus, Philippus, Ionas, Spalatinus, addidit etiam suum hic noster Draconites, quanquam non rogatus. Erat enim satis præfatio num, etiam sine illo. Sed ego amiciß. homini ac doctiß. non sustineo resistere, iußit idem plurimam tibi salutem me ascribere, nam tui amantißimus est. Valde me diligit, & quibus etiam potest officijs, prosequitur.

tur, gratum feceris, si illi uel breuißime scripseris, quo intelligere poßit me diligenter, & ad te scripsisse, & se à te amari. Tu uero Ioachime quid noui? nihil ne nobis peperisti an adhuc parturis? non potes quiescere satis scio, & ingenium illud tuum diuinum situ obduci non sinis, sicut nec debes, mitte si quid habes noui. Vicißim & ego mittam ubi aliquid meorum prodierit. Saluta Barptolemæum Amantium nostrum optimum, ac doctißimum, & reliquos si qui me norunt, nescio enim, & scire peruelim quibus istic amicis utare, saluta uxorem tuam meo & Reginæ nomine; sum enim & hic Rex; non enim possum tam speciosum regnum derelinquere. Nos hic perbellè ualemus omnes. Vtinam & in hoc nobis respondeas. Ego in omni fortuna idem sum, eundemque animum gero, sed nosti me honesta & mediocri hic fortuna uti, quæ tamen ut speramus adnitentibus amicis, & præcipue hoc nostro Casparo breui augebitur. Ita me omnes hic amant, ut cupiant honoratißimum uidere, quem tam pium Regem agnoscuut, & experiuntur. Aiunt enim se Regem non laturos Irum, sed Vlyssem potius, si utiq; sub Rege se esse oporteat. Sed hæc ioco. Reliqua Casparus de me rebúsque meis omnibus omnia copiose, ut est eloquens, exponet. Sturtiades noster diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Is nunc penè solus apud miseram

ac infelicem Erphurdiam medicus relictus est. Cum Ambrosius noster, dolor est meminisse, & item Rembertus nuper uita functi sint, sicut & Melosingus. Langus decumbit, misereq; uexatur podagricis doloribus, qui nobis Ambrosium eripuerunt. Quid amicorum nobis ea in urbe superesse putas, nisi Sturciadem? Admodum metuo ut diu nobis supersit Langus. Henricus Aperbacchius, quanquam de hoc, quid ad te? misere ualetudinarius est, & ipse nunquam non podagricus. Vtinam nobiscum uiuere posses in his saluberrimis montibus, equidem sperarem citius te quàm uspiam alibi cõualiturum, si modo adhuc quod nolim æger es. Noua si qua istic habetis oro ad nos perscribe. Princeps noster quietus est, modo per uenationes liceat, & pacis etiam externorum regnorum ac principum studiosissimus, de quibus rebus melius omnia tibi noster Cariss. Casparus, quem ubi audies meipsum te audire existimato, ita toti conformati, et quasi in eundem animum fusi & conglutinati sumus, in quem quicquid humanitatis contuleris in me collatum putato, nihil uero conferes nisi animi tantum, & bonæ uoluntatis erga me & illã significationẽ. hortare, ut si quos istic habes amicos doctos, & qui me sua amicitia non indignum iudicent, ut ad me scribant atq; ea ratione amicitiæ consuetudinem mecum auspicentur, ego dabo operam, ut si nõ eruditione, tamẽ in colenda bona fide amicitia hijs uel respondeam, uel si poßim sim superior. Vale mi cariß.

Ioachime

Ioachime, & me, quod facis, ama. Non sum oblitus tui ad nos elegantißimi Carminis, cui aliquando responde bimus. Nobis rescribe cum Casparo, & Draconitæ si potes. Datum Martiburgi in Heßis die decollati Baptistæ. M.D.XXXVII.

Tuus Eob. Hessus.

OPTIMO AC DOCTISSIMO uiro D. Ioachimo Camerario amico ac fratri carißimo suo S.

REddidit mihi literas suauißimas tuas Mycillus noster his nundinis Francofurti in suis ædibus, quibus cũ uehementer cuperẽ respõdere, uix dabatur tantillũ otij, ut ea quæ cogitarã animo, re exequerer. Quod quereris mi carißi. Ioachime nihil te literarum iam annis aliquot à me accepisse, quomodo excusem, nec ipse inuenio, nec à negotijs nostris quibus alioqui multis, sed nunc plurimis, & quàm maximis distinemur, mutuari possum. Superest, ut te rogẽ, mihi et isti meæ naturali negligentiæ propter amicitiam nostram sanctißimam ignoscas, futuro in posterum diligentiori. Quod de statu, conditione ac tota uita nostra quæris, scito mi Ioachime bene ualere me, atq; etiam meo more qui scis qualis sit, uiuere. Apud Principem huius terræ, gratiosum esse magis, quàm pecuniosum, quanquam ne eo quidem nomine est, quod ualde querar. Sti

pendium datur quotannis tantum quantum Norimbergæ olim, sed promißionibus quibus aulæ abundant quotidie ditescimus. Vtinam sicut scribis, unà nobis esse tibi liberet, quod si tu uoles, et Sueuiam cum Haßia commutare posses, ego facillime curarem ut fieret. Et nisi me fallunt omnia, quanto tu uoles stipendio. De hoc igitur si uidetur, mihi significabis. Habes breuiter ad ea de quibus scribis tibi respõsum, quanquam quod postremo de Homero scribis, scito Iliada totam me uertisse latino carmine, ac dedisse excudẽdam uostro Oporino. Qua de re opinor Mycillũ ad te scribere, tuos in Iliados α' commentarios uidi & legi, atq; etiam nunc cum domi sum, summa cum uoluptate lego. In β' nihil uideo. Vtinam omnes libros sic absoluas, ut absoluisti primum. Vtinamq; non solum tibi uidere, sed et mihi colloqui tecum de audacia mea in uertendo Homero liceat. Quod spero dabitur aliquando. Te rogo de his rebus, de quibus ego nunc coactus ad te scripsi breuiter, copiosius ipse mihi per occasionem respondeas. Saluto amicos, si qui istic norunt Eobanum, & uxorem tuam nostri uxor & liberi. Item de tua ualetudine cupio fieri certior. Francofurti ad Menum in Nundinis M. D. XXXIX.

Tuus Eobanus
Hessus.

ERVDITISSIMO VIRO IOACHImo Camerario amico non secus ac fratri cariß. suo S.

REddidit corã mihi literas tuas longe suauißimas Mycillus noster, mi carißime Ioachime cũ ad nundinas descẽdissem, altero pede ex podagra laborãti, adeo ut exire in publicũ nullo pacto possem, nã iste morbus nos principes ita affligere solet, iocũ agnoscis. Di deæq; perdant istã ueneficã & molestiß. bestiã, quæ me nunc torquere incipit quo tempore minime omniũ debuisset. Itaq; gratiam habeo tibi, quod bonã fortunam nobis optas, qua, quod quidẽ ad ualitudinem attinet, nunc egemus maxime. Et ego mi Ioachime ualde doleo nos à fortuna sic distrahi ut inuicem scribere quoties libet, non liceat, sed ut omnia desint, bis tamen annis singulis litteras ultro citróque mittere possumus, hoc est, nundinis, ad quas etiamsi non omnes forte uenturus deinceps sim, tamen hoc efficere facile possum, ut literæ è nundinis ad te deferantur Explicationes tuas τῆς β' λ' nondum uidi, gratiß. & hæc sicut omnia tua habiturus, nam ea quæ scripsisti εἰς τὴν α' sancte custodio. Vtinam pergas eodem modo in reliquos quoq; libros (id quod nemo te melius facere poterit) quos mea opera conuersos iam, sed nondum editos, non falso tibi dixerunt, quicunq; dixerunt, isq; liber non credis Ioachime q̃ ingens mihi

factus esse uideatur. Edetur hoc semestri præterito nõ editus, quod sine priuilegio, quo carebamus, emitti nõ deberet. Quod scribis te huius anni non opt. fortuna usum esse, sic interpretor, ut de ualetudinis tuæ ueteri malo, potius quàm aliqua noua calamitate libeat intelligere. Sed hæc ferenda nobis æquo animo sunt. Vides enim & me eadem ferè ratione affligi, atq; utinam hactenus. Ego iam ad scribendos Fastos non impellente solum, sed etiam urgente Philippo nostro accingar. Vicissim salutabis à me uxorem, liberos, & omnes tuos, amantißime, et ualebis Ioachime, mihi mortaliũ omniũ carißime. Amicos quos iubes officiose salutabo tuo nomine, ubi Areopyrgum nostrum rediero. Iterum uale Francoforti ad Moenum. 10. Martij Anno M.D.XL.

EOBANVS HESSVS IOACHImo Camerario charißimo amicorum omnium suorum S. D.

INcredibili desiderio afficior sæpißime consuetudinis nostræ, tantum ualet usus longus. Hic sunt Ioachime doctißimi uiri, sunt etiam humanißimi. Noster Crato, quid enim aliorum tibi texam catalogum? Sed tuam præsentiam quoties requiro? tam ad ioca, quàm seria. Quin etiam latrunculi nostri in aula grassantur modo, sed quanto maiore uoluptate mea te illi olim ἀνταγωνιστὴν habuerunt? Cætera quid referam? Studiorum suauißimam communitatem, in consilijs dandis

cum

eum prudentiam tum fidem. Non igitur solummodo lon
ginquitas usus te mihi, mi Ioachime commendauit, sed
etiam natura tua, sed etiam eximium studium erga me
tuum. Me Podagricum factum iam dudum nosti scili-
cet, nõ enim te celauimus. Cur autem rident ad hũc quæ
so in alijs morbum, homines? Ego nihil quod ridicu-
lum sit experior. Verum enim, ut scis, didici dicere.
Sed nescio quæ iam tacite surrepit etiam alia ægritu-
do, magnam enim defectionem omnium uirium corpo
ris sentio, ut uitæ metuere iam incipiam. Sed non me-
tuo. Nam & apud æternum Deum saluam hanc perpe
tuo fore confido, & inter homines diu superstitem.
Iam igitur quod restat minus sollicite curo. Principis
est uoluntas erga me egregia. Ab hoc etiam meis bene
spero. Sed cur præter consuetudinem hæc ad te hoc
modo? Tuas argumentationes in literis tuis semper le-
go libenter. Neq; me clam est, immo scio iampridem,
te esse rationum artificem, uel nostro Mylio optimo ui
ro hoc quondam narrante, & testificante. Inuictas igi
tur rationes tuas cupide semper cognosco. Quod au-
tem ad affectionem amoris attinet, facile tibi indulgeo,
tantum abest ut obsistendum esse putem. Sed quid au-
dio? Etiã ne istinc? Rescisco aliunde multa, quæ æquius
erat tuo indicio. Noui tamẽ quàm tu sis cautus. Facies
tamen credo me certiorem, si non quid consulueris, at
quid egeris? Vt si non liceat defendere cõsilium, factũ
tamen non ignorem, & si uideatur, probem, quan-

quàm mihi probare quicquid à te fiat, ut tibi quicquid à me, necesse est. De mea Iliade nihil ne obsecro ad me scribes? Sed scio iam quid scripturus sis laudabis, ut solitus semper fuisti mea, admirari te dices. Satis igitur horum. Ego uero requiram alia quoq; à te. Sed tum de his scribam plura cum librum te accepisse & legisse cognouero. Thermæ si profuerunt tibi optimum est. Sed si non profuerunt, sæpe repetendas non esse iudico. Nam nostri Medici Thermarum curationem de centro procedere scribunt. Hoc igitur singularē industriam expetit. Scis enim tu qui cum Euclide aliquid negotij contraxisti, quid centrum in circulo, & quam non cuiusuis sit illud designare. Ignosces mihi si tua caussa nimis esse sollicitus uidear, qui mea, & fuerim & sim parum. Vel enim mihi me ipso tu es charior, uel certe non multo minus. Sed hæc omittamus. Debent enim alij loqui non nos, & loquuntur mi Ioachime, atque etiam ut spero, loquentur. Volmario etiam salutem à me dictam esse scribis, uiro optimo, eruditione literarum præstanti, μουσῶν θεράποντι, & quæ præterea addis. Hunc igitur Volmarium cur ego nondum noui, nisi si forte poëta non est? Nam ut scis, Hessum nulla diu Musa latere potest. Iam igitur hunc nostro, nam meus est hic quoq;, si tuus est, salutem dices a me nominatim, & singilatim, non ut ante promiscue & communiter. Salutabis & cæteros amicos. Te etiam nostri hinc, salutabis totam domum tuam à

me & tota domo mea. Regina ualet. Cum Regijs libris non male agitur principis liberalitate. Vale, Abdonisenæ memoriæ consecrato die. XL.

EPISTOLÆ EOBANICÆ AD ALIOS.

EOBANVS HESSVS IOanni Groningo suo S.

ADeo uobis nihil reddo, ut ne pulueres quidem remittam. Sed uos egregie qui & pecuniam, quàm tamen ea cõditione accipio, ut ipsi adsitis quamprimũ, eam consumpturi, alioqui & ipse pulueribus uos conspergã. Sed hactenus feliciter, dũ quod Virgilius fecit, aurũ de stercore, nos argentũ de puluere. Pluribus nũc non ineptio: Vos adeste ad horã duntaxat unam. Nam nos secunda garriemus quippiã, sed adeste, alioqui remitto pecuniã, et uultis opinor remitti. Quod probabimus. Ex Regia.

EOBAN. HESS. IOANNI GRONingo uiro pulcherrimo & uocaliß. sed puluerulento suo eleganti capitulo S.

QVas uero tu cantilenas somnias? an Musicos Reges existimas? Mitto uersiculos quos heri inter prans

prandendum effutiui quam scripsi uerius, iocatus in ue stros pulueres. Videbatur enim uehementer ridiculum, pecuniam condire pulueribus, quo tamen obsonio non erat opus, ut ingluuiē regiam expleres. Itaq; nec dum deglutiuimus, in uestros oculos rerspersuri uestrū puluerem, si uel ipsi ad me hodie uel ipse ad uos. Quorum utrum consultius uideatur ipse consulito. Ego certo lauabo hac hora, sed hoc præmoneo in Regia cœna parum esse puluerum satis, si iubetis itaq; habetis parentem Regem. Si huc uultis, facetum magis quàm liberalem hospitem. Liberalem tamen sed pulueribus, uestro exemplo. Habes animum Regium. De Cantilenis nihil quidem cōijcere possum? Vale & salue, aue & gaude, ede & bibe, sta, curre, sede, surge, iace, tace, dic, duc fac, trahe me. Cætera coram.

EOBAN. HESS. IOANNI GROningo Theologo eruditißimo amico summo suo S.

INuito te Groninge cum nostro Eccilio ad balineas Regias, & magnifice (si quid Ghæræ magnificum inest) instructas. Sed ita ut statim à secunda adsis inuito, simul & legem pono, ne quouis modo liceat tibi cōtradicere aut contraire Regio imperio quod firmum & inuiolatum obseruari non à te solum, sed ab omnibus etiam alijs Regno nostro subiectis uolumus. Venies

igitur

igitur cum nostro Iurisconsulto ô Theologe cœnam habiturus à balineis plane Theologicam, hoc est, tenuem & parcam. Sed tamen nequaquam sordidam. In summa, talem qualem & tua & nostra crumena ministrauerit. Vides ut laute uos accepturus sim? Sed nihil metue, bene spera. Regia tibi non deerit liberalitas. Ea dum potes fruaris censeo. Aderit & Hunus, & præterea nemo præter iocos, fabulas, risus, Musas, gratias, ac Veneres. Vale.

EOBANVS HESS. GRONINGO & Eccilio suo S.

QVid uetat quo minus ad nos ueniatis? cum sitis domi & soli et ociosi. Cupio fabulari, & fabulatores desunt. Venite igitur ô Aesopi, immo ô fabulæ, & afferte uobiscum multas fabulosas fabulas. Sed cœnati uenite, edaces enim cum sitis, uereor ne ingluuiem uestram non expleam. Eccilij præcipue uentrem multorum Suum capacem. Valete. Ex ædibus Hunianis alieno calamo, aliena papyro, alieno animo, sed non aliena manu.

EOB. HESS. GRONINGO uel Eccilio. S.

SI, ut heri dicebatur, prandere apud Cononiam libet,

libet significabitis per hunc, & ego rursus illis significabo ut culinam instruant futuris tantis hospitibus forte aderit & Dux, & erit nihil isto quaternione hilarius, quamuis Eccilio iratus sim, quod heri se alieno ludo in nostram ignominiam immiscuit. Sed ipse dicet μισῶ μνάμονα συμπόταν, & uere, nam ego uixdum etiam nunc memini quid heri dixerim. Itaq; breuiter quid Reges uelint uidetis.

EOBANVS HESS. MAGNIfico uiro D. Ioanni Groningo Academiæ principi suo carissimo S.

QVare dicebas mi Rector & princeps optime, non esse id in Plutarcho, de quo quærebamus morem, genus mortis, inferias, et impensa funebrium Hephestionis? Vide nunc tuum Plutarchum ad finem uitæ Alexandri, & inuenies crudelitatem simul & prodigalitatem furiosi Regis, qui in funus unius hominis impendere ausus sit talenta decem, hoc est secundum Budæi computationem sexagies centena milia Coronatorum. Abeo nunc ad Curiam patrum conscriptorum, acturus nequaquam meam, sed affinis mei causam, deinde cum optimo & nostri amantissimo Aperbaccho iturus in ἀναχώρησιν nostram itidem ad uiros omnino optimos. In quam societatem & te uocamus, imo rogamus ut nobiscum uenias, nam nos te in tuis

ædibus

ædibus conueniemus. Ales noster heri ualde fuit betero clitus, uellem finem tandem insaniendi faceret. Sed illum nihil moror, mirarer tamen minus, si Poëta esset, sic enim aut insaniret, aut uersus faceret. Vale breui tecum erimus.

EOBANVS HESSVS IOANni Groningo

An nisi nota tibi manus hæc Groninge fuisset,
Nescires Hessum forsan adesse tuum.
Venimus, emensi ter milia dena uiarum.
Vel minus, ecquid adhuc quæritis Hessus ubi est?
Aliger hic ubi Sturciacas notat Angelus ædes
Huc age, si quid adhuc nos uenerarís, ades.

EOB. HESSVS OPTIMO GRONingo amico Sinceriß. suo S.

VTinam uero ego nunc lupos habuissem, ita ægre canem expuli. Sed nulli aderunt lupi, ne metuas, ne etiam raucissa, etiamsi te lupi uiderint priores, ueni. Hunus aderit, iam nunc abijt rediturus, Capellam amissimus. Credo lupos rapuisse, habeo hospitem Hessum quendã, qui hac hora ex itinere ad me diuertit, uirum omnino simplicẽ, et tibi notũ opinor. Is neq; iocis neq; locis nostris quicquam oberit. Tu ueni, sed cœna nihil

est, præter nescio quid. Igitur si potes esse nescio quid, ueni, ut satieris nescio quid, nam nescio quid cœnabimus & ridebimus. Sic cum Cerbero nunc luctatus sum, ut manus scribenti tremant.

Ergo, tibi nostræ non uenit littera dextræ,
Et quod scribebam sola litura fuit.

EOBANVS HESSVS GROningo Algæsino amico ac fratri cariß. suo S.

SVades ut ueniam tibiq; obsequar. Cupio id quidem & non cupio. Quid enim tuo nomine non cupiam? quid meo non cupiam non? Cupio & tibi obsequi, & cum illo familiariter esse, & mihi obsequi. Quid igitur faciam? uolo & nolo. Vides ut unica litera uoluntatem meam distrahat, nam quantum differunt uolo & nolo? Cōsule si quid habes quod è re esse nostra putes, hora siquidem prope est, qua quod facis faciendum sit. Vale scripsi cum aliquantum obdormissem. Viue.

Ex Regia.

[EOBANVS HESSVS IOANNI] Groningo uiro humanißimo amico perpetuo nostro S.

ROgat Vuolphius à Tenstadijs ut hodie secum pran-

prandeas, & rogat impense ne neges, sed mecū statim ab hora X. uenias ad Sacram anchoram, quod eius domus insigne est. Conueniet tecum de filiolo in tuam disciplinam quasi emancipando. Itaq; mi Groninge uenies ad nos sub X. ut simul ueniamus ad compaterm meum, uirum tui & bonorum omnium amantissimum, nunc etiam consularem. Bene uale, ex Regia, τάχιστα.

EOBANVS HESSVS GROningo Canonicorum Marianorum principi suo S.

ROgo te mi Groninge ut si à prandio, quemadmodum heri constituisti, ad nos in secessum nostrum uoles, ne Eccilium tecum adducas, sed potius tuum fratrem uirum uere bonum, uel D. Andream uel utrunq;, uel Michaëlem Dulcem, uel aliquem eius generis, id est, bonorum uirorum. Si uero mecum uoles, id esset gratissimum, uel à prandio. Vrbanum credo mecum iturum, Vale.

EOBANVS HESSVS IO. GROningo uiro humanissimo Amico incomparabilis fidei cariss. suo S.

ALiàs epistolæ tuæ proximæ ad nos & eleganti & suauissimi candoris plenissimæ respondebo.

iamdudum enim id constituo. Nunc quod instat explea to numerum, ut integrum tibi uictoriatum florinum debeamus, si potes, potes uero, Mercurij et Diuæ Copiæ gratia. Nosti rem, pluribus itaq; opus non est. Præfecti ærario nescio quod tempus sibi obseruare in suis commētarijs necesse esse aiunt Ego uero quid possum contra? præsertim qui diem neglexerim. Rem intelligis, peream si non regia fide ago, hoc est, summa. Hæc satis. Vesperi si quomodo potes mi Groninge, mi charum caput, mecum esto, aderit Valentinus Capella & Hunus, nec uereare quenquam, qui tibi ingratus sit adfuturus. Nam quos tu oderis amare ego uix possum, tametsi, quæ tua uirtus est, neminem oderis, sed à quorundam familiaritate caueris fortasse. Sed quid hæc? nihil ad Bacchum. Nunc apud D. Ambrosium epulabimur. Vale, & antequam uenias sub uesperam, rescribe, capior enim & delector tuis tam literatis literis quasi maxime cupitis cupedijs.

Ex Regia.

EOBANVS HESSVS CANDOre & eruditione spectabili Ioanni Groningo suo carissimo S.

TRia scribam & petã à te una in epistola. Primũ ut Reginæ acetum mittas, quo pisciculos à nobis in hodiernum prandium coemptos condiat. Deinde

ut si queas, id quod egimus nunc praestes, si id tuo com modo queas, si non queas, tamen quod tertium erat, in prandio nobis adsis cum Eccilio, si is queat suos Monachos relinquere, si non queat tu uenias, aderit enim & Hunus, pisciculos habemus delicatissimos, quibus soli uesci nec debemus nec possumus. Rem tenes, accersitum mitte, ipse ubi tempus erit ueni, hoc est sub XI. Sunt & quae tecum expostulare nos oportet. Vale ex Regia.

EOBANVS HESSVS IOANNI Groningo amico perpetuo suo S.

NOn intellexi tuas heri literas mi carissime Groninge, iocum interpretatus quod tu scribebas ex animo. Deum immortalem cuiusmodi est ista amicorū consuetudo? quae conuersatio? uel quae digladiatio potius? O rem factu non improbam modo, sed & foedam dictu. Quis talibus utetur deinceps amicis? & ego non absq; periculo sum ad tales mores factus cautior, noui enim centauros istos, sed imbelles, si in quem incidant Herculem. De his aliàs, fortunae meae gratulor quae id temporis alio me (uelut mihi consulto parceret) abstulit. Vestram utriusque uicem doleo, qui à quo minime omnium timueratis iniuriam accepistis & contumeliam. Non possum non indignari, quid fiet enim si sic inter nos tam paucos digladiabimur?

ludibrio erimus omnibus male nobis uolentibus. Plura corãm. Interim meum consilium est, ut quantum maxime queamus occultemus, ac inter nos deuoremus tam insignẽ iniuriam, ne ridendi ansam inimicis præbeamus, culpa enim caruisse pulcrum est, & nemo dolet nec uerius nec grauius, quàm qui conscientia teste dolet.

MARTINO HVNIADAE suo cariß. S.

VEni Martine. Talia audies noua, qualia nec tu cogitas, nec somniare queas. Sed quæ prorsus immutare poßint hæc tempora. Accerse oro per tuum Balthasarẽ Groningum. Eo enim conuento, mihi et Vrbano opus est. Tu ueni. Ecce noua omnia, ò noua, ò cœlum & ò terra. Vale & curre.

Eobanus Hessus.

EOBANVS HESSVS OPTIMO Viro Ioanni Groningo amico perpetuo suo S.

PAreo mandatis dulcis amice tuis. Conabar epistolam scribere, sed quod conabar dicere uersus erat. Itaq; quos ego sim adducturus umbras non uideo, nisi forte unum aliquem Græculum uocarem in tuam cœnam nisi apud Longinum diuerteretur, unde euocare

homines

hominis idē est, quod ab orco mortuos. Igitur si quem, mecum adducam Aristotelem. Ridebam ubi alienis uersibus te poetari uidi, uidebare enim cornicula mihi quædam Aesopica. Sed hæc ad Petasonem nostrum, ibi enim si non Musarum tamen opinor gratiarum numerum explebimus, uel etiam excedemus. Bene uale, & sub Quintam nos expecta. Ex Regia.

Groningo nostro S.

AN oblitus es quid heri promiseris? O lingua, qui lingua multum potes, ubi tua lingua? nunquid donum linguæ non habes? Cum sis tam linguax, ut lingua alias linguas queas elingues facere, Lingua nobilis ore fulminator, an etiam nunc linguam habes? ego quidem quia linguam non habeo, lingua nihil possum nisi linguā miseris. Vale.

Rex elinguis.

EOBANVS HESSVS GROningo uiro modis omnibus summo S.

ADesto cum tuis omnibus in Regia ô amice noster optime maxime, sed mature adesto. Nam famem stomachus noster non fert, & semper latrat ad meridiem. Quamuis nec epulas sumptuosas, nec poculenta preciosa penuria nostra depromant. Sed erunt

pro epulis fabulæ iociq; ac sales qualibus tu abundas. Igitur ne sit longior epistola, quam statui, abrumpam filum ut uenias quamprimum (ut dixi) cum tuis omnibus, præcipue Rotendorphio *nostro, & umbris si quas habes. Cætera coram. Viue, uale, & si quid nouisti rectius istis, candidus imperti, si non, his utere mecum, & ueni.*

NOSTRO VNICO IO*anni Groningo.*

Si bene potastis, bene curritis inter amicos,
Nil mihi rescribas, tu tamen ipse ueni.
Sed tamen hæc aliàs cum uenerit ipse canemus,
Nunc uel acetosas πέμπετε πιεςι'δας
Te rogo per Venerem charißime frater & omnes,
Musarum cœtus, ut uenias propere.
Nam propere scripsi, iam doctus stertit Homerus
Et nisi tu uenias non erit anser olor.

Rex.

Cytra iocum ueni, sunt nobis pisciculi quidam. Si Iurisconsultum nostrum Eccilium *tecum potes adducere, facies nobis rem gratißimam.*

NOSTRO CARISSIMO *Groningo S.*

EN

EN habes quantum properanter nunc adnotare potui in Cydippen amici nostri, quod in Hodiernum laborem sufficere existimo, sub uesperum remitte libellum & adijciemus reliqua, uel ipse adferto potius. Vale.

Eobanus tuus.

EOBANVS HESSVS SVO CARISS. Ioanni Groningo petasato petasonum Domino S.

REgina paulo ante domo abierat, cum tuus à pedibus me maximis rebus intentum, atq; in libros fronte animoq; pronum magno post tergum petasone adoritur. Heus inquit Eobane petasunculum tibi hunc praeceptor. Tum ego (ut qui his diebus minime cũ petasonibus assueuerim.) Quid est inquã, nae homo ille impense delirat qui tot hanc domum beneficijs onerat, ut iam uix ferat? Extra iocum ego Reginae munus tuum (quod dum animum tuum specto, maximum est, quan tumuis tu extenues) offeram, & mea commendatione aliquanto reddo preciosius. Sed quod iubes totum hoc quatriduum ualere me, male accepissem, nisi inuitares in crastinam coenam Petrinorum, quo & ueniemus & tecum expostulabimus, & de Petasone consultabimus. Vale τάχιστα ex Regia.

IOANNI GRONINGO.
optimo amicißimo suo S.

ETsi (ut intellexisse te uideo) laboro ex cruribus, tamen non potui non ridere ad tuam tam ridiculam epistolam, cum te ipsum sexcentis pene morbis obrutum scribas, idque à me postules, ut medicus te curem, quod ea quidem lege facturum me polliceor, si probaris prius istis te captum imbecillitatibus. Nam ego tibi qui credam, cum iam iterum ad philosophos comessatum compotatumq; abisse sciam? Quare si uoles ueni & uide tumorem Regiorum crurum, ipsumq; Regem pene miserabiliter multa scabie exulceratum, non decumbentem quidem, sed tamen desidentem, & nihil agentem, præter quàm de cura instaurandæ ualetudinis cogitantem. Vale & si poteris adito nos cum Ecclio, quamuis, ut opinor, illi non uacet abesse ab istis suis censuris.

Tuus Rex ἄπυς.

D. IOANNI GRONINGO VIRO
bono amico summo suo S.

NVllus argento color est auaris, abdito terris, nosti quæ sequuntur. Quare neq; nos argentum terris abdere debemus, sed in usus potius necessarios promere. Quod quorsum nunc dictum accipiēdum tibi

ſit, mi Groninge non ignoras, ego de reliqua ſententia ut nunc quidẽ dicere ſuperſedeo, ita tecum ut ſpero his paſchalibus ferijs liberius colloquar & confabulabor. Vale, cum tota domo tua. Ex inſula ueteri, ſed noua Regia.

Tuus ὁ βασιλεύς.

IOANNI GRONINGO ERVditione & probitate florenti ceu in uere perpetuo.

TRes auiculas cœpi, ſed hamo Argenteo, qui ſi fuiſſet laxior, cepiſſem utiq; plures, nunc contrahendum aucupium pro ratione retium eſt. Sperarani hodie abiturum me à quæſtoribus publicis ditiorem, ſed non reſpondit uoto expectatio. Itaq; eadem ſpe in craſtinum rediturus domi nunc lateo, & te interim fallo ſed inuitus, quamuis te fortaſſe non inuitum. Sed hoc me conſolatur, quod cum litigioſo exactore res nõdum eſt. Igitur ad aucupium te noſtrum inuitamus, aderit enim et Huniades noſter, tum adduces Iccilium una tecum. Ego ſpectator cænulæ ero. Nam ita mihi imperant labia, quæ concluſa ſunt, ut præter iuſcula & cremores καὶ βάμματα haud quaquã alia admittãt. Ridere tamen poſſum, & ineptijs ſaturos facere, bibero quoque: ſed potare non audeo, aiunt enim Aeſculapij noſtri neſcio à quibus ταῖς ἀποῤῥοίαις eſſe id malum.

Quod si uerum est, ut suspicari libet, tum ego Iouem precabor, ut ne pluat amplius, ne tam garrulos poëtas tacere quoque cogat. Satis ineptiarum. Adesto uolucris ad uolucres, auis ad aues cum aue Iccilio. Sed quam primum, Vale. Ex Regia.

Tuus Hessus.

GRONINGO ET ECCILIO VIris summis S.

HVnus & ego sumus unà in Regia neq; cœnantes neq; potantes quicquam, Sed dulcissimam uestrā præsentiam expectantes. Quid rogamus? nihil est aliud negotij aduolate.

Hunus & Hessus.

GRONINGO ET ECCILIO suis & nostris S.

QVamprimum adeste adiuro uos, non potamus, non pergræcamur. Sed sobrij sumus, & habeamus cancros maximos instar asinorum & ouium, an similitudo hæc non placet? Quin igitur uenitis & hoc audetis dicere. Quod si non ueneritis, non addam cætera. Breuiter. Venite.

Hessus & Hunus.

Eob. ta.

EOBANVS HESSVS GRO- ningo & Eccilio uiris optimis S.

Nihil tam dolet quàm hoc quod uobiscum sum temporis, non & habitare & uiuere uobiscum quotidie. Itaq; nullum tempus est, quin de uobis cogitem. Quod si uos quoq; de uestro Eobano aliquid tale sentitis, uenite nunc ut hoc diei reliquum fabulis mutuis transigamus, quia paulo post abfuturi sumus, ut scitis longius. Te uero Groninge conuenire quodam nomine habeo, quod ipsum, ut spero, & in rem tuam erit. Valete, & uiuite, & uenite. Ieiunium ut scitis sacrum est, tamen curabimus ut non desint bellaria. Ex Regia.

GRONINGO ET ECCILIO uiris & clarißimis & optimis nostris S.

Rogo uos & inuito ad coenam uiri amabiles, ad quam ut ueniatis nunc statim dum lucem habetis rogo, ne dum ambuletis in tenebris, uexemini à negocio perambulante in tenebris. Venite.

Vester ὁ βασιλεύς.

EOB. HESSVS GRONINGO & Eccilio nostris charisß. S.

Venite

VEnite si uiuitis, si ualetis, quid enim impedit, quominus hoc quod cœpimus, semper faciamus? Nobiscum sunt Hunus & Crucibergius, uos desideramus ut quos maxime. Adducite Marcum, cui nos hodie descripsimus bellißimum carmen.

Ex Regia.

IOANNIBVS DVOBVS GRONINGO & Octacilio nostris Charißs. capitibus.

Vrbis gericolæ reduci pede tecta subimus
Longas emensi difficilesq; uias
Vix etiam trahimus languentia crura grauati,]
Quis credat molles Regibus esse pedes?

Reliqua non adfluebant, et nihil sperabant itinere defessæ Camenæ, ut quæ Pegasum nullum habuerint. Recte & officiose facietis si salutatum nos uenietis, simul ut suauißimis confabulamentis uestris tædium animi, corporis languorem sentientis leuetis. Diu enim & nescio quot anni sunt, quod uos non uideo. Si nihil impedimento est ueniatis oro. Narrabo uobis cursum peregrinationis regiæ maioris & longioris aliquanto Vlyssæa. Viuite & adeste, sed cœnati. Nam Regina non expectabat uos. Itaq; præter auiculas paucas nihil parauit obsonij quod cœnaremus. Ex Regia.

Hessus.

GRONINGO ET ECCILIO uiris sanctis, & amabilibus nostris S.

SAluere uos iubemus, sed & uenire. Quod si imperium non accipitis, uenite ut excusetis uoluntatem tam improbam. Hunus mecum. Heri fuimus scilicet negligentiores Nunc ualde sumus famelici, & esurimus nescio quid humidi, nam sicca parum tam delicatis stomachis conueniunt. Venite in tempore, nam si extra tempus ueneritis, periculum est, ne mundo excidatis. Marcum uobiscũ ducite, & quos uoletis præter hunc.

Aduolate amici & regio imperio parete, audituri noua multa & mirabilia

Hessus & Hunus.

GRONINGO ET ECCILIO uiris & amicis opt max. nostris S.

IEiunant hodie Philosophi omnes, qui adeo seueris sunt moribus, ut ne Timoni quidẽ ulli cesserint. Vos autem natura lætiores, uegetiores etiam ingenio, personam pro loco & tempore potestis sumere atq; horarum omnium homines pulchre agere. Itaq; uos rogo ad me consolatum hoc uesperi ueniatis (nam potare mihi nunc religio est) Deinde itidem rogo aliquid uestrorum olusculorum, sed conditorum ad nos cum his duobus

bus Regulo & puellula transmittatis, huiuscemodi enim uoluptas est, hoc uesperi deuorare, opinor propter adhærentem ægritudinem. Valete.

Vester Hessus.

DVOBVS IOANNIBVS ALGE *sino & Eccilio nostris cariß. S.*

SI estis adhuc inter homines, putabitis & hoc humanum esse, ut rogari uos patiamini, quantumuis tandem sitis tetrici, quantumuis μισάνθρωποι, tamen hoc uestro Regi credo non negabitis, ut secum ad Meridiem prandeatis, quod ut faciatis, quid rogem? qui imperare possum? Venite igitur, sed statim X. Valete.

Hessus.

GRONINGO ET OCTACILIO *uiris fortibus & bonis amicis ueris & magnis suis S.*

QVamdiu est, quod uos non uideo? & quamdiu hoc perferam? liberatus diurnis laboribus ad noctem solatiolum quero. Quod sine uobis uix potest integrum contingere. Laboribus & corporis et animi uere fessus sum, & datum est uix respirandi tempusculum, quod ut mecum esse uelitis, oro amici ca-

rißimi, etsi non sunt nobis mitia poma, erunt fortasse molles castaneæ & obsonij quiddam & pulmentarij non infirmi pollinis. Adeste modo Groninge noster, & Occacili quamprimum adeste plumei non plumbei per Mercurium & Aesculapium. En uobis literas ab eo quem dicere nolo, ut ait Iuuenalis. Scripsi manibus adhuc udis ab argilla qua fenestras affixi. Birum non uinum bibemus. Nam mihi dolet omnino dentes isti ὄινο φλύγοι, et enim carne opus est, si satur esse uelis. Valete, & uenite actutum, sic uolumus sic iubemus. Comitetur uos, si uidetur Schryndisius noster, non ut umbra, sed ut unus de columnis maioribus, quales & uos estis. Hessus.

HESSVS GRONINGO suo S.

HEri nihil actum putabimus, nisi redeatis hodie, quid in causa? satiari non possum præsentia uestra, hoc ne satis? sed reliquiarum parum est, quicquid tamen hoc est, esse uolumus. Quod si languetis ex capitibus, consulite nostrum capitulũ, & habebitis melius. Inuitaui hodie Chunratum tuum Groninge, si potes hunc tecum adducito, & si placet etiam Guilielmum, nam omnes qui tibi etiam nobis cari sunt. Eccilius & Marcus nos spero non deserent.

Hessus.

EOBANVS HESSVS IOANNI Groningo uiro & singularis humanitatis & singulariter cariß. suo S.

SCripſeram heri literas ad te, quibus petebam uti ſtatim Eccilio comite uenires in Regiam, neq; ſolos nos & quaſi deſertos eſſe patereris, hææ literæ cum hodie ſint amiſſæ, nec ullo pacto poßint reperiri. Idẽ nunc peto, ut quoniam heri non licuit, quia abijſſe uos dicebatur, hodie uenias ad X. nunc ſtatim, tecumq; adducas noſtrum Iuriſconſultißimum Eccilium, ut hunc ſacrum ternionem impleamus, nihil ad prandium præter coxam uitulinam aſſam habituri. Quod ſi uos pleni ut ſoletis, portionum eſtis, iubete uobiſcum ueniant. Mirum eſt quam uos uidere cupiam, nuper non eratis læti. Nunc uero Diuo populorum Victori ſacra faciemus, ut & erga nos liberal habeamus, qui paupercula nupturienti tantum auri dediſſe narratur, quantum ad reliquam degendan uitam abunde ſufficiebat. Vale mi Groninge, & uide ne excuſationem aliquã prætendas, quia nullam accipio. Idem dices Eccilio. Hora X uos opperiemur. Ex Regia. Pridie Nicolai.

INDECLINABILI VIRO Ioanni Groningo carißimo ſuo pectori S.

AD cœnam hesternam nec ueni nec potui, quoniã utrunq; nobis ἀδύνατον. Quid uero ô Poëta Virgiliane, si nunc ad prandium ego, quia neglexi cœnam, times, nõ uenio. Sed cras ero tecum, quia sine me esse non potes. Tuum focum, tuos plurimos ignes, tuas tædas, tuas pinus, tuos hortos, tuas syluas & reliquum tuum gregem saluere plurimum iubeo. Heri subduxerant montes me, & post carecta latebam. Sed desino, quia plura non possum. Vale.

Saluta doctißimum Iurisconsultum Eccilium & dona illi pro munere Regio Homerum à principe principem. Cætera addes ut uoles. Tuus Hessus.

IOANNI GRONINGO AMIcorum Gemmæ suo S.

ET Nicolaus noster nunc abest & tu ades, & ego breui absuturus sum, nunquam tamen minus fuisti mecum quàm nunc es. Quare si quid adhuc ueterem et fidum respicis amicum, ueni ad hodiernum prandium unà cum cariß. Eccilio non ut laute prandeas, sed ut liberaliter rideas. Scis enim simul cum sumus, quam prorsus ἀγέλαστοι εἶναι non poßimus. Vale è Regia.

Tuus Hessus.

IOANNI GRONINGO uiro optimo S.

Balineæ instituuntur in regia, si lauare nobiscum uultis adeste ab hora tertia, Cœnæ uero præter holuscula & caseolos parum est, nisi quid prouideamus. Rem tenes. Quod tibi, idem Eccilio scriptum puta mi Groninge. Vale & ueni si potes. Festinanter. Ex Regia. Hessus.

GRONINGO ET ECCILIO VIris & optimis & cariss. nostris S.

Vt breuissime, & quod ex animo sentio uobiscum agam fratres carissimi, uos rogamus uti hoc uesperi nobiscum sitis, aderit & Dux, & erimus hilares. Hoc est quales uix ipsæ optarent gratiæ. Rogamus uero, ut si quo modo queatis, ne alio concedatis quàm ad uestrum Regem. Hessus.

Nostro cariss. Groningo S.

Audimus te optime Groninge literas habere Georgij ducis ad Lutherum. Quod si uerum est, rogamus te per Musas ego & Megabachus cum quo iam dudum in gratiam uere te redijsse & ipse iurat & nos scimus, ad nos ut in Regiam hoc uesperi uenias, tecumq; eas literas si habeas feras, si non habeas ipse tamen uenias unà cum nostro Eccilio ex nobis noua auditури. Optimam & frugiferam Cererem pro Venere

habebimus inter couiuas. Vale, Versus quos uoluisti, mitto. Iterum uale, & mox ueni.

Tuus Hessus.

Quicunq; prima liberatus coniuge
Sese alligauit ad secundas nuptias,
Miser laborat in charybdi pessima
Et errat naufragus in profundo maximo.

ἄδηλον.

OPTIMO IOANNI GRONINgo amico indeclinabili S.

HActenus non fui soluendo, quamuis si animum spectes, iamdudum exolui, uolui enim & cupiui semper, sed nõ potui. Nunc cum dederint isti, non quod uolebam, sed quod uolebant ipsi, tibi mi cariss. Groninge, pro tua in me summa liberalitate gratiam primum ago, deinde quod æquum est reddo, rogoq; ut ne feras ægre, diutius fortasse me quàm oportuit rem distulisse. Quandoquidem id nequaquam mea sponte factum est. Fac oro si potes unà cum nostro iuriscõsulto Eccilio cõ ueniamus uel hodie. Vale, ex Regia die Matthiæ. [illegible]. D. XXV.

Tuus Eob.

[illegible]BANVS HESSVS IOANNI [illegible]ingo uiro humaniss. & uere liberali amico immortali suo S.

Quid uero agamus mi cariß. Groninge, nisi plane impij & manifestißimæ ueritati uelimus esse contrarij, nihil deinceps lecto hoc libro dabimus uirium Libro arbitrio. Ego non credebam mihi persuasum iri nullum omnino esse liberum ad Deum arbitrium, sed forte sic Deo uisum est, ut inde unde minime speraram, uel illa non minima salutis pars effulgeret. Constanter credo, & Erasmum ipsum in eadem futurum opinione, si modo, ut illi rogant, respectum personarum ponet. Tibi gratias ago immortales, per quem & cuius beneficio, mihi contigit in caussa capitali christianismi erudiri, & melius sapere. Hæc ingenue & ex animo tibi scribo, etsi credo iam idē sentire te. Nam iterum mi Groninge, quid agamus? quo confugiamus? quibus nos tutemur argumentis? cum illa in hunc librum congesta sint longe clariora, quàm quæ à quibusuis tenebris poßint obscurari, fortiora q̃ à quouis Achille destrui, si hoc modo res Theologicæ agantur, iam in portu pacis, & salutis erimus, nec bella, nec seditiones ullas, extimescemus. Vide oro te quam sua tribuant Erasmo omnia illi quicunq; & qualescunq; sunt, dum illum magnum dotibus omnibus à Deo ornatum usq; ad miraculum faciunt, bene hoc quidem & nequaquam incommode, fateri quidem per quem profeceris, & cui multum cæterarum rerum debeas, caussæ uero tam iustæ poßeßione non cædere ne unguem quidem latum. Id ego laudo uehementer, modo stili acrimoniam, ple-

risq;

uisq; in locis temperassent. Poßis itaq; apud istos mode stiam citius quàm eruditionē desyderare. Sed nihil est ex omni parte beatum. Honesta commutatio est, si pauca uicia multis uirtutibus compensentur, feret hoc, qua est modestia, ipse Erasmus, & parebit, spero, meliora docentibus, Vides ut in suam sententiam me rapuerit, non quidem Lutherus, sed [illegible] ueritas qui est Christus. Sic tamen ut Erasmo me nequaquam abstulerit, sed magis etiam adiunxerit, qui primus causam tam necessariā mouit & aggressus est. Agerem tibi pro tuo petasone gratias, si mihi dedisses quàm Reginæ potius, tamen quia coepulonem esse uoluisti agam aliquando, nunc non ago, quia insanire mihi uideris, qui hoc tempore istud edulium. Verum quia bene salitum est, asseruari aliquantisper poterit. Nos tamen de tota re tecum deliberabimus, ut constituatur, & quando & ubi & cum quibus οὐ γὰρ πάντα πανταχοῦ οὐδὲ παρὰ πᾶσι.

Tuus Hessus.

IOANNI GRONINGO SVO, multis nominibus cariß. S.

Qvis sapiens fortunæ lusus & ludibria resq; humanas mille casibus obnoxias, magnopere admiretur? qui uideat et consideret ea nos lege ea que conditione natos, ut inter utriusq; fortunæ tempestates, nunc lato, nūc aduerso cursu feramur, iactemurq;,

non secus ac in immenso quodam pelago, cælo terraq; destituti, naufragio semper proximi. Quorsum isthæc? Renunciarunt, si forte nescis, Huno nostro collegium ui ri in suam ipsorum perniciē, non dico improbi, sed sem per uigiles & intenti. Quorum id culpa acciderit equi dem ignoro, nec suspicari libet, tametsi coniecturæ, & multæ et magnæ sint, à proximo quodam Ioue istud ful men proficisci. Fert istū casum, eam fortunæ iniuriolam uir utriusq; nostrum amantißimus, fractiore quàm ue lim animo, nempe talibus ludibrijs haud quaquā assue tus. Quanquam uero ipse quæ potui, præsens adhibui animo parū forti remedia, tamen existimo bonā istius doloris partē leuatum iri, si tua quoq; & Eccilij uox cōfirmatioq; accesserit. Quæ ideo ad te scribo, quod ti meā, ne homo imbecilli (ut scripsi) animo, plus æquo dolori indulgens, parum sibi ipsi bene consulat, etsi sa tis ipse nouit ab istiusmodi animi conflictationibus plus satis etiam suo ipsius corpusculo ægritudinis & accesßisse, et accedere posse, cum quia, ut ipse testis es, uehementer & merito uirum istum amo, tum quia no lim ex istius consternatione, inimicis, si qui sunt, mate riam dare, unde gaudeant, sibiq; (ut est malorum sem per maximus numerus) adstructū putent, quicquid illi decesserit? Quāuis quid decedere amico nostro potuit? si illud exiguum est ereptum, cuius nunquam satis cer tus esse potuit, quod in aliena manu, ab alijs acceptum temporaneum non perpetuum beneficiū erat, quamuis

quid beneficium dico, qui seruitutem dicere ut potui ita debui? Non enim benificium censendum est quicquid ex fortunæ pēdet arbitrio. Animi dotes qui habet, is demum maxima & habet ipse, & in alios conferre potest beneficia. Quare nihil est, quòd Hunus noster, magnopere perturbetur, ob illum leuißimum fortunæ nō nihil nouercantis reflatū. Reliquum est, ut tu quoq; cōfirmes illum tibi non minus quàm mihi charum & obnoxiū animum. Ego *quidem, quod unum & supremū mearum opum meæ facultatis est, auxilium Musarum implorabo, Orphei cytharam sumam. Syluas & saxa mouebo, animū natura forsan molliorem poëticis Syrenibus sic permulcebo, imò confirmabo potius ut uideat se de leuißimus rebus fuisse perturbatum minimoq; in malo doluisse. Vale mi cariß. Groninge, meq; sic ut facis ama.* Ex *Rosceto nostro* Prid. Noñ. Octob. M. D. XXV. *Tuus* Eob. *Hessus.*

CARISS. NOSTRO IOAN-
ni Groningo S.

REmitto tibi mi Groninge, heri abs te commodatū mihi, gratiamq; ago longe maximā, cui plus etiam quàm maximas debeo, relaturus olim certe aliquas. Heri te uocaram, idem coram redditurus. Sed tu nescio quid causatus, Regias literas cōtempsisti. Quod si uicium putabis esse, dabis operam ut emendes.

Vale. ex Regia, pridie Victricium palmarum triumphantis Christi. M. D. XXVI.

Tuus Hessus.

IOANNI GRONINGO VIRO optimo amico incomparabili suo S.

EGo à te digrediens heri mi chariss. Groninge, uix à lachrimis temperare potui, ea fuit caussa cur paucis tecum agerem, idem apud ducem chariss. contigit, ægre reliqui Erphurdiam, ægrius multo amicos, taceo de uxore & liberis, quos breui mecum futuros spero. Saluta Eccilium meum. Melosingum item & Familiũ omnesq; quos mihi chariss. esse non ignoras. Scripsi ex Arnstadio cum pridie pessima tempestate conflictatus, matutinum iter iam meditarer. Scribã è Norimberga Deo uolente plura & breui ut spero. Commendo tibi uxorem chariss. & liberos dulciss. Expedite mihi apud Melchiorem quod heri mandaram, & Vale mi lies cariss. Groninge, Arnstadij postridie Diuorum Philippi & Iacobi. M. D. XXVI.

Tuus Eobanus.

ERVDITIONE ET HVMANITAte præclaro uiro D. Ioanni Groningo Amico suo suauissimo S.

PEruení Norinbergam charißime Groninge saluus & incolumis, exceptus etiam honorifice, excipiendus honorificentius breui ab ipso urbis huius senatu, cum quo conuenturus sum, ita enim deliberatum esse ab isto ordine aiunt. Ego uero urbem hanc ingressus sum die Lunæ ante Aſcẽſionis Chriſti, & ad huc fere me lateo. Sed multi nos inuisunt, & inuitamur paßim & uina optima propinantur. Sed heus mi Groninge, non credes mihi quam hic ad tantas uoluptates factus sim continens ac pene stupidus, quasiq; ab omnibus semper fuerim alienißimus. Noli existimare ioco hæc me scribere. Vera sunt quæ scribo omnia, ab eo die quo à uobis digressus sum continenter uiuo & sobrie. Tui memoria & Eccilij nostri, ut est mihi omnium iucundißima, ita extingui nullis unquam tempestatibus poterit. Scripsi Reginæ & tabellarius mire festinat. Igitur ex Reginæ literis reliqua intelliges, & breui scribam ego copiosius cum Philippo, qui isthac ibit, et ego Ludouicum mittã, pro adducendis reliquijs domus Regiæ. Ad ducem nostrum ὁδοιπορικὸν scripsi, quod mittere duabus de causis, & non potui, & non uolui. Non potui, quia festinabat (ut dixi) tabellarius, non uolui quia sciebam Ducem abisse, & non iam esse uobiscum, mittam ubi resciero ubi nam gentium agat, commendo tibi totam domũ Regiam, hoc est, uxorẽ et liberos. Saluta D. Henricum Aperbacchum cum uxore & liberis, Xenia mittam cum parumper hic inualuero.

Saluta Eccilium, Famelium, Huxarium, Melosingum nostros amicissimos, dicitoq; rogare me impense, ut ne de fide mea liberanda quicquam dubitent, D. Vuolphio à Tenstadijs scripsi, ut uidebis, apud quem ego te in locum meum familiaritatis surrogo. Vale Nurimbergae postridie Ascensionis Christi. M.D. XXVI.

Tuus Eobanus Hessus.

M. IOANNI GRONINGO VIRO eruditissimo amico perpetuo suo S.

Scripsi superioribus diebus uenisse me in Noricos, nihil uero adhuc à senatu nobiscum actũ est. Nunc tertiam ἑβδομάδα hic agens idem scribere non possum. Nam & humanissime acceptus, ultroq; citroq; color, inuitor à primoribus. Nec uidear unq̃ conditione meliore fuisse, nisi quod uxor & liberi absunt, pro quibus adducendis Ludouicũ misi cum pauxillo pecuniae, quantum quidem nunc habere potui, constitutum enim à senatu est stipendia nostra soluẽda quadrantibus summa totius ad singulos anni quoq; quadrantes. Itaq; singulis anni partib. mea portio fit, xxxvij. semis. florini, et hij quidẽ aurei, sic enim exoluunt isti quod antea nõ crediderã. Rogo igitur te, solutionẽ eius pecuniae quã opt. uiro Ioanni Conerro debeo, differas paulo diutius, à festo Diui Iacobi statim transmittã, id enim est primae solutiõis constitutũ tempus. Interim ego nihil egeo,

amico

amicorū quos optimos hic & inueni, & cotidie nouos paro & inuenio, liberalitate, satis opulenter uiuo, & nō desunt qui parati sunt, uel centū aureos meo nomine pernumerare. Vides ut mutarim conditionem. Vtinā adesse mihi posses, quod futurū omnino non despero, etsi nondum sciam satis, nec dum enim audeo quicq̄ uelle cupere in re adhuc quasi feruente. Itaq; dices & amicis nostris qui fidem interposuerunt nihil eos debere sollicitos esse. Nam fidem meam ante id tempus quod statutum est, si uiuam, redimam. Feceris rem longe gratißimam mihi, si Reginæ in conducenda uectura adfueris. Quid si auxilio nostri carißimi Eccilij à uicinis uestris uiris & optimis & mei amantißimis, currum impetraris, quo huc deuehantur Vxor & liberi. Age si tibi uidetur, adito uiros optimos, roga meo nomine, si tamē opus erit. Si uero uector idoneus contigerit, currus opinor non deerit. Breuius scripsi, quod obrutus erā scribendis pluribus literis. Ex his quæ ad te mitto rationē & ordinē instituti nostri cognosces. Ego Virgilium doceo & uersus facere. Cū Philippo qui breui isthac transibit, plura scribam, & scribā semper, semper enim adsunt tabellarij. Tu uero nec dum scribis. Saluta Eccilium dulcis. & cariß. caput, Melosingum, Huxarium, Fæmelium, Philippum Seganum amicos carissimos. Petrum nostrum Vorbemium, & Megabachum. O Groninge quanta ego hic continentia uiuo, quam sobrie, finis agendi Erphurdiæ, finem potandi mihi fecit, &

uiuo

uiuo mensa liberaliß. & uere magnifica sumptibus publicis, idq; quamdiu Regina aberit. Vale Nurinbergæ die Trinitatis. M. D. XXVI.

Tuus Eobanus Hessus.

IOANNI GRONINGO LITErarum Magistro omnium chariß. suo S.

NVnquam Erphurdiam scribo, quin tu primus occurras ad quem scribendum putem, & tamen scribo rarius, quòd sciam amicitiam nostram firmiorem esse, quàm quæ ullis literarum adminiculis fulciri, uel debeat uel poßit, & cupio semper ad te mittere quidpiã, sed ut fit, ea semper elabitur occasio, sed apprehendetur spero breui. Interim mi cariß. Groninge ut uales? dudum est quod nihil à te literarum accipio. Vtinam sis totus aureus. Si Erphurdia te nõ fert, demigra ad nos, atque utinam adesses uel nunc, forsitan inuenerimus aliquam te non indignam fortunam, quamuis forsan istius quoq; te non debeat pœnitere. Eobanus Procus iamdudum apud me est, expectans, si qua se ostentet mutandæ fortunæ occasio. Sed hactenus frustratur, nullius tamen rei egens me hospite, præterquàm quod ab Erphurdiensibus mulierculis abest. Eccilio dic, ut Iuribus suis fortiter studeat, & aliquando dicere quoq; incipiat, sed in foro, id est, ut fiat rabula, alioqui quantumcunq; Iuris erit prudens, nihil efficiet, rem non augebit

hoc

hoc quidem tempore, nisi sperat uicturum se annos Nestoris. Plura scripturum prohibebant hospites, eadem hora imo momento eodem aduentantes cum hæc scriberem. Mi Groninge bene uale, & ad me quamprimũ potes scribe, ante biduum ad Vuolphium nostrum Tenstadium scripsi, nunquam scribo sine mẽtione tui, ut ut tu existimes, ex animo hoc non potes elabi, tantum existima fore te immortalem, ex eo die quo cœpisti amare Eobanum. Ego multa nunc molior, de quibus iudicabunt posteri. Bene ualeo, utinam tibi quã rectiß.me cedant omnia. Mi Groninge iterũ atq; iterũ rogo te ut scribas ad me, quam sæpißime & ne expectes, sed quæras & rapias occasionẽ qualemcunq;. Saluta amabilẽ Eccilium & Carionem cum uxore, breuiter nostros omnes. Nurimbergæ IIII. Nonã. Sept. M.D.XXVI.

Non potui relegere, si quid ommissum est tu supple to. Tuus Hessus.

CARISSIMO IOANNI Groningo amico suo S.

PRo literis remitto tibi Vorchemium chariß.mi frater, & libellum item mitto, quem his diebus emisi. In quo uidebis me repuerascere. Sic enim nunc opus est, sic me fortuna uolutat. Vin scire uero quid caussæ sit, cur tibi scribam rarius? Semper cogito mittere literas aureas, & semper incidit quod eam rem procrastinet,

met, & ego tamen sum aureus, igitur et breui uos inau rabo. Bellissime ludis in imaginem nostram, amabo te mi Groninge, quando desines tam facetus esse, an tu nõ agnosces nostrum supercilium? reliqua agnoscis? quid igitur? tales eram cũ ille Apelles me pingeret, tu adscri bito, sic oculos sic ille manus sic ora ferabat, ego dicam talis eram cum primam aciem Præneste sub ipsa straui. Tu uero optime uir literas à me longis longiores expectas, & ego uix breuibus breuiores expedio, ita nec mihi nec tibi fiet satis. Saluta carißs. Eccilium, & sic ut facit iubeto cum musculis ludat, circum labia decurrentibus. Tu uero da operam mi Groninge, fac quod facis, sustine & abstine. Scio tibi mores quorundam hominum molestos esse. Sed quid agas? utinam posses mecũ esse. Sed perfer & obdura, post modo melius erit, cupio plura tecum, sed nec possum nec licet, Salutat te Ioachimus qui hæc scribenti adsedit. Vale mi carißs. Ex Noricis IIII. Id. Septembr. M.D.XXVI.

Tuus Hessus.

IOANNI GRONINGO ALGEsino uiro eruditißimo amico ac fratri unice carißimo suo S.

RArius ad te scribo fortasse quàm uel postulat uel permittit amicitiæ nostræ consuetudo mi carißs. Groninge, cuius rei causam tu putabis nullam aliam,

quà m

quàm raritatem tabellariorum, hinc ad uos commeantium maxime idoneorum. Sunt enim plerique tales, ut his ne dare quidem ullas uelim, uerum ut sit illa uulgaris excusatio, firmior est, & esse debet nostra amicitia, quam quæ ullis literarum fulcturis aut suffragijs egeat, sed est tamen nescio quomodo, inter amicos literarum quædam insanabilis cupiditas, quibus nō tam augetur, quā quasi quodam uitali succo alitur nec sine illarum uicissitudine crebraq; missitatione possit ullo modo recte in suo officio consistere, nō magis quàm corpus aliquod uiuum si sanguinem detrahas. Itaque cum Eobanus Procus totam pene hanc æstatem mihi domesticus frustra hic aliquam conditionem uenatus, ad uos redire statuisset, dedi has illi iā abituro, scis enim omnia istiusmodi sic solere differre me, ut diutius non posim, itaq; nunq̄ fere quiete, et cogitate, semper tumultuose scribere. Quorsum igitur hæc? ut uideas quā sollicite tibi purgari cupiā de literarū infrequentia, et ne existimes ab officio me discedere, dū rarius scribo. Quid uero agis? quo instatu res tuæ sunt, mi frater? Si posses aut uelles abesse Erphurdia, quā uellē te huc cōcedere, habiturum me qualem tu non dubitas hospitem, atq; his meis qualibuscunq; rebus, nō secus ac tuis usurum, Quod si uoles ad tempus certum, ut ad anni dimidium aut certe menses aliquot, solum inspiciendæ huius urbis gratia, uertere, potes audacter ad me diuerti. Vtinamq; non ad hæc rideas, sed tam uelis, quàm ego toto animo cupio.

cupio. Iam quod ad res nostras attinet, scriptum ad me est domum nostram esse diuenditam, debeo, ut scis, Melchiori Lottero bibliopolæ Lipsensi, & id primum dissolui debitum uolo, de reliquo iußi, ut ex Proco intelliges, cõmunitati de me optimæ meritæ publice, tibiq; ac cæteris quibusdam priuatim satisfieri, quod ita futurum spero, sin minus, tamen facultati fiet satis meo nomine, idq; ego curabo ut fiat per D. Georgium Tenstedt, cuius, ut scis, filium mecum habeo, sed nondum tamen tantundem debet, breui debiturus quantum satis est ad fidem meam liberandam. Quod rogo ut D. Melosingo, item Huxariensi, & reliquis amicis, qui pro me sponderunt dicas, quibus tamẽ nactus occasionem aliam breui scribam, Eadem omnia quæ tibi scribo nostro Eccilio scripta sunto, cum enim nihil sitis seiuncti animis, cur literis uos seiungã ego? Quod ad me mearumq; rerum statum attinet, rectißime ualeo, & amicis utor satis quidem commodis, & magnis, sed infrequentioribus. Itaq; ad uos, te dico & Eccilium sæpe respicio, quos si mecum habeã, beatus fœlixq; sim. Stipendio senatus huius urbis liberali utor, ut scis, Quid igitur non mittis (inquis) inde unde nobis satisfacias? dicam uno uerbo, uerum est quod Melosingus mihi iam abituro dicebat, adeo multa sunt hoc primo anno mihi in usum domesticum coemenda partim earum rerum, quarum permultas Erphurdia demigrans uẽdidi, partim earum quas & hæc requirit conditionis mutatio, & huius po

populi consuetudo, ut taceam sumptus quotidianæ mensæ, qua quali utar malo tibi Procus exponat, quam à me intelligas. Verum commodior multò erit hæc fortuna, ubi hanc hyemem euicero. Magno stetit illa demigratio mihi qua res meas uxoremq; & liberos huc contuli, & eius pecuniæ partem adhuc uobis debeo, hactenus etiam alijs debui, debeoq; etiam nunc. Quam pecuniam hic accipio, eam, ut nuper uidit Procus, acceptā statim eijcio, partim in macellum, partim in pistrinum, partim in tabernam uinariam, nam omnia mihi concreduntur liberalißime, quam fidē, danda est omninò opera ne amittam. Ad futuram æstatem locum habitationis mutabo, et domum conducam cum tribus conclauibus, multò studijs & rebus meis futuram commodiorem. Nam ea in qua nunc sum non nisi unum habet conclaue, & mihi futuri sunt domestici plures ingenui adolescentes. Nam hactenus ab illis, qui filios suos huc missuri erant cessatum est, propter multas causas, maxime eam, quia timebāt homines huic urbi nescio quas ob res imminuere diras, bella, fulmina, cum tamen ipsa haud quaquam quenquam lacessat. O Groninge potentem & abundantem populum. Sed nulla est hic sine diuitijs uita. Vrbis situs, pulchritudo, amœnitas, splendor, humanitas demū, omnia sic perplacuere, ut nuper ἐγκώμιον scripserim, quod uidebis æstate futura, si uiuam, unà cum Idylijs nostris, quæ hic exprimentur, utinam uel paucos dies queas esse mecum, Nam admo

dum metuo ne non poßis, ne item non uelis Erphurdiam, id est, confusionem istam relinquere. Mitto libellum tibi, nuper hic editum de ratione scholæ, ut uideas & hic obtrectatorem me inuenisse, nec immeritò fortasse, qui sic incautus fuerim, in re tam facili quam quæ mihi sit omnium longe facillima. Verum ut uides, satis ferociter, repreßi calumniatorem. Sed hæc satis. Mihi uero, ut hoc quoq; scribam, mi carißime frater, conniuendum hic ad multa est, ad quæ alias etsi liber sum, nolim. Opinor intelligere te quid dicam. Sed tamē si quicq̄ mihi credis, malis huius populi mores et studia q̄ miserrimæ Erphurdiæ imitari. Hic enim summa concordia firmat, apud uos discordia destruit omnia. Sed & hæc hactenus. Ego constitui sicut antea quoq; tibi scripsi, uenire ad uos ad Cal. Aprilis proxime futuras. Saluta unice familiariter optimum Eccilium, illiq; dici to mures circū ora nostra repentes indies magis ac magis luxuriare, & quærere tam bellum collusorē ac contrectatorē. Saluta Nicolaū fratrem Germanū tuū et D. Andream meo nomine reuerenter, & admone simul, imò manda ne à Regno deficiant. Longius euexit me memoria dulcißimarum nostrarum consuetudinum. Itaque ne iocis quidem ut uides abstinere possum. Saluta D. Melosingum, & Fæmelium, & Huxariensem, & uale fœlicißi. Ex urbe Norica Id. Nou. M.D XXVI.

Commendo uobis Procum dignum nostra amicitia, & hoc ut facerem ipse rogabat, cupiens uti consuetu-

dine

dine nostra, fieriq; familiarior, quos audiebat toties à me prædicari. Rescribe diligenter ad me de rebus tuis omnibus. Itē de statu scholæ uestræ, nunquid sit aliqua spes instaurandi. Expectabo uerbosiorem etiam hac epistola abs te. Iterum uale uiueq; ac salue milies mi cariss. Groninge, teq; scito sic amari à me ut neminem magis. Iamq; circumspicere me quo argumento te immortalitati tradam. Sed uale.

Non relegi, itaq; siqua desunt parum refert.

Tuus Eob. Hessus.

D. IOANNI ALGESHEMIO GRONNINGO uiro erudito amico cariss. suo S.

Ego uero tardius ad te scribo mi chariss. Groninge quàm uel tu uolebas, uel officium tam sanctæ nostræ amicitiæ postulabat, fateor, sed quæso te ut ne ex officiorum tarditate amicitiæ nostræ modum metiaris, quæ firmior est, quàm quæ ullis negligētijs, infringi, maior quàm quæ ullis officijs poßit augeri. Sed hæc iamdudum uulgata inter nos. Quid uero si ego quoq; dicā te rarius quàm oportebat scribere. Non sustinebis opinor in hoc ius uocari te, quo si me accuses, non minus ipse reus sis, & pariter cum accusato periclitere. Sed iterum dico istorum satis, & non eget istiusmodi lenocinijs in perpetuū confirmata amicitia. Quid agis igitur mi frater? ut sese res tuæ habent? bona

 fide

fide, crede mihi nunquam non de te cogito, & anxijs uotis opto dari aliquam occasionem mihi qua animum meum erga te non uerbis aut epistolis (quod antiquum iam & uetus est) Sed exemplo aliquo insigni queam ostendere. Es *enim omnium mortalium mihi merito longe cariss. qua de re si dubitare te ullo pacto crederem, deplorarem infelicitatem meam, qui tam aperti pectoris fidem tibi nullam facerem. Sed sic est qui amant ipsi sibi somnia fingunt, et si enim scio amari me quoq; abs te, non possum tamen non esse sollicitus, ne aliqua te ratio auertat.* Mi Groninge, *fac quod facis, & ferto patienter tumultus horum temporum,* In *quibus bono uiro multa dißimulare opus est, multa etiã ferre, quæ si nulla cogat neceßitas, quis ferat?* Ergo *te uelim quã maxime queas habere rationem & temporum & hominum, sicq; cogitare, dum ut uelis non poßis uiuere, ut poßis uelis.* Quid *de me existimas mi* Groninge? *nihil dico,* Recordare *sermonum & confabulationum nostrarum, & ex illis me depinge tibi magis uera imagine q̃ sit ea, quam & misi olim & nunc mitto. Sed copiose ut in amicos distribuas. Spero autem breui meliorem me ipsum tibi mittam,* Vrbis *quoq;* Noricæ ἐγκώμιον, *si dijs placet, hic ædidi, quod & ipsum misi. Sed quid tu cogita, quanto me donarint præmio ob hoc scriptum, magno sane.* Nam *ego laudari magni muneris loco duco.* Non *erit tamen hoc exemplum, contemptorum studiorum in ea urbe in qua potißimum*

nunc & uere honorata sunt. Etsi scripsit olim Erasmus noster, Laudare norunt nostri principes, numerare non norunt. Sed mihi nuper, uelut, expostulanti Martialis dixit: Quæ nondum data sunt stulte negata putas? Verum de hoc satis. Ego Dei benignitate nuper auctus sum filiolo, qui quod ipso Resurrectionis Dominicæ die natus esset, nomen Anastasij inuenit. Cætera hec ualeo & uiuo, non admodum ut fortasse uos credis luxuriose. Vix enim pro tanta familia alenda, & hc statu apud hos homines conseruando satis est hoc isti amplum stipendium, nihil superfluit, nisi quod in uestimenta, sed nonnisi necessaria, & libros expendiatur. Vtinam tuæ res patiantur te aliquando me inuisere. Abiturus à uobis nuper Melchiori Saxæ dixi pecuniam tibi pro me expensam reddere meo nomine, quod nondũ fecit, admone meo nomine. De accepta ex di tẽdita Regia pecunia, tibi & alijs (qua de re ualde sollicitus sum) satisfaciat quamprimum potest. Saluta charißimum Eccilium, Megabachum, Vorchemiũ. Maxime neq; tuos collegas in senatu literario. D. Iacobum Hornensem, D. Ludouicum Melosingum, M. Ioannem Fæmilium aliosq;, & uale fœlicißime mi charisß. Curasim. Hæc scribebam sub auroræ ortum, mane hora quinta, cum sexta docendum in scola esset mihi. Idibus Iunij. M. D. XXVII.

Tuus Eob. Hessus.

M. IOANNI GRONINGO uiro ornatißimo amico unice carißimo suo S.

FAcile credo, uel iniurato tibi mi cariß. Groninge, quantum et me ames, & meis literis delecteris, sed & uicißim id paciscor, uti et tu mihi credas non iuanti amari te à nobis quantum alium neminem. Itaq; dabis ueniam temeritati an amori meo dicam nescio, qui ex media negotiorum quibus distringeris turba te euocem, sicut nuper feci, quibusdam in literis. Dabitur fortasse breui aliqua nobis occasio congrediendi tecum & suauiß. Eccilio, & nostra illa dulcißima consuetudine ad tempus perbreue fruendi. Quod scribis studia istic bona nō modo non renasci, sed mori etiā indies magis magisq;, dolens gemensq; audio, quanquā nec illa clades uestra propria est, uel nobis habet quicquam auditu nouum. Itaq; ferendum æquo animo est, quod mutari non potest; donec ipsa quæ nunc sæuiunt fata fiant mitiora. Sæpe tibi dixi & credo meminisse te, periclitari posse bonas literas, perire omnino & intermori non posse. Iaceāt quantumuis grauiter, facillime resurgent ubi desæuierit parumper hæc maligna Nemesis, quæ nullis magis est quam bonis iniqua, in nullos quàm in malos pacatior placatiorq;. Eobano Proco negotium dedi, curaret, ut quod istic & publice & priuatim debeo exolueretur, posteaquam casula sit diuendi-

ta, quod ipſum, id eſt, uenditionem, aiunt quidam Cononem confeciſſe, alij Melchiarem Saxam, uiutſe illæ res habet, uelim & tu cures, uel apud Cononem, uel Melchiarem, uti ſatisfaciat uobis omnibus qui pro me fi dem ueſtram interpoſuiſtis. Miror uero uehementer ſuper ea re nihil mihi à quouis ſcribi. Ioachimus hinc nuper cum Comite Mansfeldino abijt profecturus in Hiſpanias, ſcholæ noſtræ maxima pars in me incumbit, ſed aucto etiam ſtipendio dum ille abeſt, dubitatur quando rediturus ſit, equidem mihi abeſſe minime omnium licebit quamdiu ille aberit. Conſtituo quidem ego Erphurdiam, ſed niſi ille redierit, uenire non licebit, id uero futurum ſperamus ſtatim à Paſchate. De Fæmelio miror quòd Hebræus eſſe cœperit, & nuper aiunt ſacris quoq; iniciatum. Inquietum hominem, & nunquam ceſſantem, eũ ſalutes officioſe meo nomine & Meloſingum, & reſcribe, quid de pecunia uobis meo nomine reſtituenda, uel expeditum ſit uel expediri poſſe credas. Item, ſi quid librorum (quorum hic magna copia eſt) tibi mitti uoles ſignificato. Saluta omnes noſtros Nicolaum fratrem & Andream. Item Megabacchum & Vorbemium, non poſſum ſimul omnibus, ſcribam tamen ſingulis aliàs. Vale Nurin bergæ. XIII. Calend. Ianuarij M. D. XXVII.

Tuus Eob. Heſſus.

ERVDITISSIMO AC HVMANISsimo uiro M. Ioanni Groningo amico prorsus incomparabili suo S.

Quid uero mi Groninge, quid rerum agis? uiuisne ut solebas uere hilariter & libere, an uiuendo nunc moreris? sic enim suspicari me cogit, illud tuum plusquam diuturnum silentium. An uero oblitus tui Eobani es, quē tantum nuper amabas, quemq; tanti faciebas, ut nullum amicorum præferres, ut etiam cumulares magnis (ut tum res erant) beneficijs? an obliuisci me putas posse illius nostræ iucundißimæ consuetudinis? amicitiæ fidelißimæ ab utroq; cultæ? morum ac studiorum omni ratione consentientium ac similium? Non ita me Christus seruet mi cariß. Groninge tui obliuisci queam, si in ultimas terrarum partes deferar, qui nunc ne extra Germaniā quidem sum, & in eadem ferè gente tecum habito. Itaq; quamuis omnino nihil amicitiæ nostræ auspicatißimis initijs cœptæ decedere ex quantumuis longo silentio certo sciam, tamen existimo nequaquam committendum, ut uel suspiciones inter nos oboriantur ex odioso, & nos minime decenti silentio, quorum ut est, ex literarum commertio nata amicitia, sic etiam illis ipsis quibus prodijt exordijs est confouenda. Vt enim cibo corpus, ita literis animi amicorum in his uersantium pascuntur. Vides itaq; leniter uellicari te ut ad officium redeas, quod

interea

intermiſſum abs te eſſe nemo mihi ſane perſuaſerit, tantum interpolatum temporum, uel hominum incuria poſſum ſuſpicari, ac etiam pro meo in te amore non ferre moleſte. Supereſt nunc Groninge noſter, Groninge mi, ut te mihi per literas expurges, hoc eſt, tuo regi ſatisfacias, quoquo modo queas, etſi poßis etiam hanc intermißi officij culpam in me ipſum retorqueas, qui ſi tu accuſes, nõ diffitebor et me in parte criminis huius eſſe, & iure à te reum agi, tantum abeſt ut cauſa uideri uelim ſuperior. Futurum *ſperabam ut te aliquãdo huc elicerẽ, & in hoc celeberrimum Germaniæ theatrum uelut ad ſpectaculum pertraherem, quod quoniam fieri poſſe deſpero, conſtituo ego uos ad futuras ueſtras nundinas inuiſere, tum enim commode uideor poſſe multis ex hoc* Emporio *in iſtam ciuitatem eo tempore mercimoniorum gratia commigrantibus. Itaq; niſi intra illud tempus quam creberrimas à te accepero epiſtolas, ubi uenero prehendi te per uiatorem, & in uincula duci iubebo, non enim ſum oblitus regem eſſe me, cui in omnes tam opulẽto regno ſubiectos ſæuire etiam cum libeat liceat. Quam tu ſæuitiam regiam pro tua ſingulari prudentia ſapienter euitabis, & ſcribendis tantum literis clementiam potius natura huic regi inſitam, quàm crudelitatem non niſi magnis ob caußis orientem experieris.* Bene ac fœliciter uale mi carißi. Groninge, & ſaluta meis uerbis honorificẽtißime opt. ac eruditißimũ uirum M. Ioannẽ Eccilium συμφράδμονα

tuum & congerronem suauissimum. Deinde item Megabacchum, & Vorbemium, quos eorum etiam quae ad te, nunc scripsi admonebis, et ut meminerint longas Regibus esse manus, ne absentiae nostrae fiducia tantũ nihil scribendo peccent. In tempore enim adero & poenas exigam. Saluta item M. Nicolaum fratrem germanum tuum, & Andream Nutthenum uiros ex ipsis gratijs natos. Item totam domum collegij Saxonum, nominatim uero M. Piscatorem Decanum, M. Bertholdum, M. Iacobum, M. Henricum συμπότας olim nostros iucundiss. Saluta etiam reuerenter meo nomine. D. Ludouicum Placentam Melosingum Theologum uirum & eruditione, & humanitate rarum, & iterum tu Vale, meq; quod facis ama. Nurembergae VI. Idus Februarias. M. D. XXVIII.

Tuus Eob. Hessus.

Nihil ad te libellorũ mittere potui, quòd ad manũ nihil erat, omnia enim à Bibliopolis distracta sunt, τὰ εἰδύλλια nostra accipies à nundinis Francophurdianis proximis. Ego Theocriti Graeca ad xx. ferme uerti Latinis uersibus, tantum audacia accreuit, Latinis Musis, ut in ista externa egredi nũc audeant. Id autẽ quicquid profectum in Graecarum literarum à me studio est Ioachimo debemus, quem hoc fere biennio urgere non cesso, & uideor sane nonnihil fructus reportasse ex sero quidem, sed non deliberato studio. Tum

exibunt

exibunt breui nostræ in Virgilij Bucolica & Georgica adnotationes, quæ quoniā hic excudentur, ad te mittemus. Te rogo ut diligenter de rebus tuis, & scholæ uestræ statu ac spe. Item de fortuna urbis ad me perscribas. Vale fœlicissime, Salutat te Regina nostra reuerenter.

ERVDITISSIMO VIRO D. IOanni Groningo amico carißimo suo S.

SAlue mi carißime Groninge. Quamdiu uero nihil inter nos literarum? quam diuturnum erit hoc silentium amicitiæ nostræ minime conueniens? Forte quia utrinq; nobis desunt tabellarij, mallem equidem eam quam ullam aliam subesse caussam, uerum cum sit istiusmodi amicitiæ nostræ fides, ut nullis uel leuium officiorum intermißionibus uel temporum interuallis labefactari poßit, missas faciemus mutuas istas expostulatiunculas, & quotiescunq; alterutri erit commodum hanc salutando per epistolas consuetudinem non sinemus inter nos intermori aut aboleri. Nunc te rogo mi Groninge quam primum queas mihi significes quo in statu tuæ, deinde scholæ uestræ res sint. Tenstadius Georgius ad me scribit cupere scire se ecquid si Schola ista restituatur, sim passurus agi mecum

ut.

ut retrahar Erphurdiam? Ad hanc uocem, si te recte noui, gaudio totus exilies, uideor enim uidere iam mihi quam hic gestias, quam cursites ad Eccilium nostrum atq; illi hoc statim in sinū effundas, ac uelut ς ὁδ'α εἰς κκὰς ipsum quoq; exhilares, scio enim quam sitis uterque mei cupidißimi. Cupis ne igitur scire quid responderim. Respondi ambigue quidem, non tamen omnino ἀμφιβολογικῶς, sic ut incertum esse non poßit quid facturus sim, si uobis fortuna non fuerit perpetuo irata. Reliqua potes commode si uoles ex ipso sciscitari. Sed horum nunc satis. Credo adnotationes meas in Virgilium ad uos peruenisse, nam hic à Bibliopolis omnibus uenduntur, paucißima Secerius ad me misit exemplaria, quæ hic amicis distribui, misissem tamen ad uos quoq;, nisi & crederem iam habere et nuncium grauare non libuisset; alioqui grauatum satis. Itaq; mitto (quod ipsum tamen antea quoq; misisse me existimo) poema de moribus & tumultibus horum temporum. Quod si per omnia non satisfacit uobis, & in quibusdam locis displicebit, crede mi Groninge cum ueritati tum nonnihil etiam (quid enim apud te dißimulem) hisce cum quibus nunc uiuo hominibus me tribuisse. De quo, quid sentias oro te ut rescribas quam primum queas. Distribues autem secundum titulos quibus inscripsi. Nouarum rerum apud nos adeo plena sunt omnia, ut satius sit ea tacere, quā scribere. Bene uale mi carißime frater Groninge, sabbato Cantate M.D.XXIX.

Salutat

Salutat te Regina cum suo nuper nato Heliodoro.

Tuus Hessus.

OPTIMO ET ERVDITISSIMO *uiro Ioanni Groningo amico ac fratri carißimo suo S.*

NVncium nostri Eccilij mi carisß. Groninge, modis omnibus, ut debui, & accepi & adiuui in ea causa quam tu mihi studiose commendaras. Nam & ego ipse reddidi literas ad senatum nostrum scriptas à uestris, & curaui diligentißime, ut si qua fieri potuisset, non sine respõso nuncius ad uos reuerteretur. Sed cum res ut egere uidebatur, procrastinaretur, ego ne per illos quidẽ qui maxime possent perficere, potui ut negotium Eccilij conficeretur toto triduo, quo nihil aliud quam hoc agebam, & uidetur adhuc uix octiduo integro posse absolui. Itaq; nuncium dimisi, arbitratus nõ esse necesse, eum diutius detineri, maxime cum causa non expediretur, de qua tamen nostrum Eccilium quã optime sperare iubebis, non enim erit hoc negotum infectum per hunc æquißimum & prudentißimum senatum. Verum ut uides quia dilationem patitur, ego proximo nuncio fideli & Idoneo curabo, ut quod cupitis ad uos perueniat, nam tales nuncios hic quotidie fere habemus, qui sine uestris impẽsis isthæc ad uos perferunt. Nuncium apud me detinui quibus potui officijs prose-

quutus,

guiuus, nam me sciente nihil prorsus Eccilio impensarum fecit, ad triduum mecũ moratus est, quarto die dimissus, si quid insumpsisse se dicet non credetis. Sunt enim hoc genus hominum satis fallaces. Eccilij causam ualde diligenter curabo, imò iam sic curata est, ut credam perfectam, modo dilationem istam feramus æquo animo, cui mederi ego non potui. Intra octiduum uel decem dies spero me ad uos missurum quod uultis ab hoc Senatu. Mi Groninge ualebis quàm optime, & salutabis amicos communes meo nomine. In primis Eccilium & nostrum charißimum Petreium, de quo uelim scire quàm maxime qui ualeat, nam hic nuncius dicebat nescire quidem se, sed tamen suspicari non omnia recte apud eum agi. Itaque rogo te, ut mihi significes quomodo ualeat amicus carißimus. Nobiscum omnia salua, tuta & firma sunt, atq; adeo ne Turcam quidem metuimus. Ad æstatem ad uos ueniam, si uiuam. Vale in Christo. Prima Ianuarij. M.D XXXI.

Eobanus Hessus.

D. IOANNI GRONINGO uiro optimo ac amico perpetuò suo S.

IAmdudum tibi de Eccilij nostri negotio significassem carißime Groninge, nisi tabellarij nulli fuissent. Ego quicquid potui diligentiæ in expedienda illa re

fec

fieri et adhibui, & ipsos etiam primores Senatus adij, petens enixe, ut negotiū hoc conficerent. Verum illi toto senatu super ea re deliberantes respōderunt tandem, non posse se quod peteretur in præsentia facere. Non impedire se uero quo minus huic uel illi concedatur quicquid uisum sit alijs. Habes mi Groninge totam rem. Vestrum nunc erit Eccilio per uos consulere. Quid uero tu tam anxie petis, ut si quid exponendum sit, ego exponam? mi Groninge, ac si de fide mea dubitare nunc incipias. hoc habeto tanquam oraculum, si decem aurei tuo & Eccilij nomine fuissent expendendi, eos ego alicunde sumtos mutuo libentißime expendissem, nunc hoc dolebat expendi pro uobis nihil posse. Eram cum hæc scriberem grauißimo capitis fluxu adeo consternatus, ut uix literas agnoscerem. Nam hic regnat ea pestis nunc post καθαίρεσιν quæ mihi nunquam fuit infestior. Hoc dolet Petreum laborare aduersa ualetudine & tu non significasti qua, incommode sane, cum ego scire cuperem quo nam afficeretur morbo. Miserum me qui illi nec adesse nec mederi possum, cum in eo si quid (quod Christus prohibeat) aduersi acciderit, dimidium mei periclitetur, sicut & in te. Spero ad æstatem proximam me uos uisurum. Vale & Eccilium bono animo esse iubeto. Norimbergę, Die Chrysostomi M. D. XXXI.

Tuus Hessus.

Optimo

OPTIMO ET ERVDITISSIMO
uiro Ioanni Groningo fratri carißimo S.

TV uero mi cariß,. Groninge etiam si dijs placet uereri audes ne tui obliuiscatur Eobanus? in qua tamen re, quoniam teipsum uelut excusas, do ueniam tibi, qui intelligas probe nostrā amicitiam talibus iactā & constitutam fundamentis, ut nulla poßit iniuria labefactari. Itaq; sic habeto mi Groninge Eobanum non tantum hoc seculo futurum tuum, quum te ex animo et uere diligam ut neminem alium. Othoni Begmanno respondi libere, & ut sentio regie, quod tu quoq; ubi leges, intelliges me scripsisse serio, nec posse sentire uel scribere aliter. Mi Groninge quā ubi libenter uocanti obsequerer, si ulla ratione possem, & si uos ullā rationem me dignam proponeretis. Sed uideo satis ex uestra pusilanimitate rem istam, quam fortasse uos priuatim meditamini perfici non posse, nam crede mihi maioribus opus est, & animis & stipendijs, sexaginta floreni istas ruinas non subleuabunt, date centum, ac tum circunspicite ubi sint qui uel accipiant, uel acceptis satisfaciant. Sic ridicule senper egerunt nostri Erphurdienses. Cur non retinuerunt quod absq; negotio potuerunt retinere? Cur nunc quod temere est amissum sic ridicule & quasi per iocum instaurare conantur? Vereor, uereor mi Groninge atq; iterum, atq; iterum uereor, ne uobis in ista parte iam consuli non poßit, qui quod habuistis

habuiſtis ueſtra maxime culpa de manibus emiſiſtis. Nō tam facile hijs temporibus ſcholæ eriguntur, quàm paulo ante ſæuientibus literarum hoſtibus ſunt deiectæ. Deinde uide mi Groninge, quanta ſit ſtultitia uelle nunc Eobanum emere LX. florenis quem retinere licuerat uel paucioribus, non quia tantum ego ualeam, ſed quia nunc uideam ad eam uos dementiam perueniſſe, ut putetis perſuaderi mihi poſſe, ut relicta honeſtiſſima conditione, rurſum me iſtis anguſtijs inferam, è quibus Dei beneuolentia euaſi ſemel. Cuperem tamen ut me ſeruet Chriſtus optimo uiro Othoni ac tibi, ſi ut dixi, ulla ratione poſſem, obſequi, ſed quid me impediat, uides. Multa ſunt præterea in iſta ueſtra uocatione ſic frigida, ut etiam uolentem abſterrere poſſent. Videlicet, quis uocat me? Otho? Groningus? penes hos ſcilicet ſummum ius iſtius ciuitatis, atq; iſtius ſcholæ erigendæ eſt? hoc ut ſit, quis Eobano ſponſor erit meliorem fore iſtam conditionem quàm ſit hæc præſens? non muto certa incertis, nōn bona deterioribus. Sic huic ciuitati nunc inſertus ſum, ut non facile queam dimitti, quanquam cogi & nolim & nequeam, ſi ſaltem data fuiſſet uobis ea mens ut uocaretis conditione tolerabili, nam iſtā quam uos offertis, ne diſcipulus quidem aliquis meus hoc tempore acceperit. Scio uos facile inuenturos, qui uel minus accipiant, ſed qui ſatisfacere iſti ueſtro propoſito poſſint uel nullos uel paucos. Itaq; credo futurum tandem ut ſentiatis, quid in Eobano amiſeritis. Huic ciuitati

iam prodesse incipio, ut modeste loquar, uestræ profui (ut arroganter hoc dicā) multis annis, & cū prodesse max. possem, tunc ferre me non potuistis. Itaq; meo maximo commodo, & rerum & studiorum factum est, ut uos mei pœnitere incœperit, tum cum uobis maxime usui esse debueram. Sic ad te scribo mi Groninge, mi frater carißime, tanquam cum ciuitate agam, & quasi te ciuitatis personam sustinentem fingo. Sed quid non liceat apud Groningum Eobano? nisi mihi carißimus esses, non sic omnia mea consilia tibi detegerem. Verum ut eo redeam unde sum paulo ante digressus, nulli hæc quæ nunc ad te scribo communicabis nisi amiciß. nostris. Non enim dubito quin (ut tu quoq; scribis) plures sint in ista ciuitate mei amantißimi. istis omnibus dices posse quidem fieri ut redeat Erphurdiam Eobanus, uerum isto modo atq; ista conditione nec posse illum nec uelle nec etiam debere. Tu si quid aliud est quod significandum mihi putes, ea rescribes. Idem dices Othoni, & ijs in quorum gratiam nihil non sum facturus quod poßim. Sed heus tu iam uenit in mentem mihi, si quoq; uobis poßit in animum descendere, ut serio rem ageretis, non grauarer autumno proximo uenire ad uos, uestris tamen impensis, Si certo aliquo modo mecum agere fortasse uolueritis. En latam uobis benignam satis meo iudicio conditionem. Sed hæc in aurem tibi communicabis tantum cum Othone uiro optimo, & meo amantißimo. Saluta

cariſsimum Ioannem Eccilium, cui beneficium gratulor ab alijs denegatum, ab alijs conceſſum. Credo te uidiſſe Theocritum à me latinitate donatum. Iam Homeri bonam partem conuerti Latinis uerſibus, atque in eo nunc ſum, ut præclaro opere hanc ciuitatem illuſtriorem faciam. Vale mi cariſsime Groninge, & perſuade tibi non eſſe alium te mihi cariorem. Salutat te Regina mea. Scripſi feſtinanter Nurimbergæ VII. Id. Auguſti M. D. XXXI.

Tuus Eob. Heſſus.

PRAESTANTI ERVDITIONE & humanitate prædito M. Ioanni Groningo fratri cariſsimo ſuo S.

Ex tuis literis proxime ad me datis intellexi cariſsime mi Groninge quotidie quærere ueſtros ſicut tu uocas Philoſophos de meo ad uos aduentu, atque certos potius eſſe uelle quàm ſic pendere animis. Ego mi Groninge ſicut tibi Ratiſpona abeũti receperã facturũ, iamdudũ ueniſſem, niſi fuiſſem occupatiſsimus in hoc etiã principũ Noribergæ cõuentu propter meos Heſſos potiſsimũ, qui et ipſi mecum egerũt eadẽ de re, qua & tu mecũ agis, propoſita conditione honeſtiſs. hoc eſt, tanta quanta hic nunc mereo, ſed ego nihil contra dixi, & mallem omnino ſi qua fieri queat Erphurdiam, quàm in meam redire patriã. Miror autem uehe

menter si senatus cupit instauratam scholam istam, ne illum quicquã scribere nec de eo uel à uobis ullũ fieri uerbum. An scilicet existimatis me inuito Senatu redire uel posse uel debere Erphurdiam? an uos soli hoc agetis quod ad clarißimum ordinem inprimis pertinebat? Itaq; factu optimum censeo ut ab hijs qui nunc gubernandæ apud uos Reip. præfecti sunt, quorum uterque mihi amicißimus est, alter inprimis, quoquo modo sciscitemini uelint iubeant me redire. De conditione constituenda iam uiderimus, cum ipse uenero, mea enim parum refert siue cõuenerit, siue parum conuenerit, quando mihi certa cum incertis, mutare non est animus. Quod si Senatus hac in re uoluntatem significaueritis, continuo uobis adero. Quod scribis alios quoq; doctos esse, qui istam prouinciam ambiant, cum uoluptate accipio etiam in hac deploratione temporum aliquid doctorum superesse, & nihil impedio quo minus non solum ambiant, sed etiam assequantur. Vtinamq; mea ad id quod agitis opera nõ indigeretis. Habes quod certi collegio Senatus Philosophici uiris mihi amicißimis ac carißimis renunciare poßis. Verum ut hoc quoq; cuius me uelut mẽdacij arguis tibi excusem: Scito à tuo abitu Ratisponæ quattuor me hebdomadis substitisse, retinente et nectente semper morarum causas. D. Dantisco, scis quali uiro, à quo cum tandem ui me auulsissem, excepit me Noribergæ, alter conuentus principũ, quorum aulici, ac familiares adeo me distrahebant, ut

usq; ad ipsorum abitum nunquã meus esse potuerim. Nunc mihi redditus, uereor, ne si uenero inuitis quibusdam uenero, de uestro imò de nostro ordine nõ loquor, tu quos designẽ intelligere potes. In summa, si uno uerbulo aliquos è senatu uelle mihi rescripseritis, continuo sicut dixi adero. De Turca quod quæris, certa hæc habemus, quòd adhuc maneat ad traiectum Danubij h. e. ad Albam Græcam plus centum millibus à Vienna distante neq; uidetur temere inde moturus. Cæsar maximo exercitu contra illum profecturus est cum fratre Ferdinando. Iam undiq; confluunt auxilia, omnia armis perstrepunt. Noriberga nostra cotidie armatis plena est, aiunt conuenturum exercitum centum milium. Si Turca Viennam non uenerit oppugnatum, nostri illum oppugnaturi sunt, & fortunam certaminis tentaturi, ubicunq; sors tulerit. Nunquam dicunt nostros fuisse in Turcã, uel paratiores, uel animosiores. Hæc ita nunc fiunt postquam hic Noribergæ de pace inter Cæsarem & status Imperij conuenit, ex eo enim tota res pendebat: quæ omnia, quia per Dei benignitatem optatum finem sortita sunt, bona spes est in omnium animis fore, ut tota Vngaria immanißimus hostis pellatur. Præter hæc Transyluani auxiliantibus finitimis xxx. millia Turcarum, qui cum comite Cepusiensi quem Vidam uocant militarunt, armis fortiter aggreßi fuderunt, deleuerunt, ac armis prorsus exuerunt. Hæc nobis certa & per nostros Veredarios comperta sunt. Faxit Deus

 ut

ut hoc tam felix tamq; faustum præludium lætior etiā uictoria consequatur. Habes de Turca. Reliqua item si quæ se offerent habiturus uel ex literis uel ex meipso coram relaturo. Saluta totum collegium facultatis uestræ, cui tā absens quàm præsens perpetua fide obligatus et esse debeo, & esse uolo. Saluta Cariss. Eccilium. Saluta D. Andream huius Baiuli fratrem. Saluta M. Nicolaum fratrem tuum. Saluta bonos omnes meo nomine, & uale feliciter mi suauiss. Groninge. Valde celeriter scripsi Norimbergæ prima Augusti. M. D. XXXII.

Tuus Eob. Hessus.

HVMANISSIMO VIRO D. IOanni Groningo Magistro & Canonico Erphurdiensi &c. amico & fratri cariss. suo S.

QVid agis ô carū caput animæ mi, numne aliquādo conceptam de me suspicionem depones? nam ita suspicaris, satis noui te. Ecce poëta ille ualde poëtice, h.e. mala ac mendaci fide nobiscū agit, decipit nos, fallit, mentitur, facile facit, quod semper facit. Quin tu desinis ista cogitare, dū uides & honestis me excusari rationibus, et constanter stare promissis, adeo etiam ut principes uestri respectu contemnam, sicut ad Eobanum Draconem scripsi, à quo tu requires eam fabulā, quam ob hoc non est opus ut iterum hic recenseā.

Vides

Vides te inique de me suspicatū esse? an quid desideras amplius? Quin potius tu omißis tandem suspicionibus curabis unà cū alijs dominis & amicis nostris, ut & hinc expediar et de domo habitādа mihi prouideatur. Si uos mihi nō defueritis, imò si scolā uestram uere amabitis ante Pascha uobiscū ero. Nā hinc possum, Mutis debitis quandocunq; uoluerim demigrare, hoc quando fieri uelitis in uestra potestate situm est. Qui sunt nunc istic in senatu principes, admodum uereor ne istius ordinis consilia nuper calida nunc frigere incipiant. Vos utemini uobis & nobis omnibus beneuoli. Rogo uero, ut quod facere destinatis quā primū faciatis, tempus enim appetit, quod fere nullam ferre poßit dilationem. Si quem ad me missuri estis, mittite Stephanū Spalatinum quem uobis fidelem esse existimo. Vale mi Groninge, & me sicut facis ama. Saluta amicos communes omnes, D. Vdalrichum, & D. Leonhardū uicinos tuos. Iterum uale. Salutat te Regina ualde regie. Noribergae postridie Natalis Christi, hoc est, die Stephani M. D. XXXII. T. Eob: Hessus.

ERVDITISSIMO VIRO D. IOANni Groningo Decano fac. art. Erphurd. amico non secus ac fratri cariß. suo S.

Ego uero ignorabam te Decanū esse mi Groninge. Ideoq; scribebā ad Eobanum & Melosingum, et

Sturtiaden ueteres & constantißimos amicos, tui non immemor frater carißime. Sed parcebam interim & occupationibus tuis, & dignitati ne tibi dominanti in summa arce negotium facessérem quod offenderet. Sed iterum Decurionatus oblitus in iocos, quod tu fieri uetas relabor. Nihil igitur nugabor amplius hijs quidem literis, nam in posterum, ut spero, & sæpius, & liberius. Gratißimæ mihi fuerunt literæ tuæ mi Groninge, quas quoniã (ut intelligebã) nomine facultatis nostræ scripseras familiarißime, nihil dubitabam unquam de fide aut pietate erga me uestra, quæ uicißim erga uos mea tanta est, ut nullo pacto, nulla ui labefactari possit. Quod iam exemplo clarum esse scitis, nam ego ad uos perscripsi diligenter tentatum fuisse me à Principe Electore Saxoniæ. Sed ad rem, non dubitaui, ut dicebam paulo ante, quin præstituri essetis quod ego rogabam, sed quod serius hoc quàm ego existimaram quamq; ferebat mearum rerum neceßitas, mirabar equidem, hodieq; miror quid in caussa sit, quod cum semel pecuniam mittere statueritis, illud ipsum quod facturi alioqui estis, tam diu differatis, Etenim si misissetis in tempore, multo commodius omnibus rebus meis fuisset prospectum ac consultum oportunius, mihi enim in animo erat nihil hinc rerum aut librorum ad uos mittere, nisi accepta prius pecuniola illa, unde creditoribus partim satisfacerem, partim spem facerem de reliquo quod non dissoluissem non desperandi. Sed hæc spero pro sapientia

pientia & probitate uestra proque singulari uestra in me pietate, iam uos ita ut cupio diligenter curatu ros. Ad reliquas partes literarum tuarum mi Groninge uenio. Quod de domo & conducenda & emenda communi nomine facultatis uestræ scribis, gratißimum est, atq; ea res sicut alia de pecunia paulo ante deijciebat, animũ mihi erigit, esse uos de me sollicitos utiq; et nõ negligere, quem omnino rebus communibus collapsis profuturum confidatis, sicut & ego confido, uideor e nim posse ἀλλὰ οὐκ ἄνευ συνέργων. Sed de hoc in po sterum, & cum ad uos uenero melius consultabimus, neq; enim fortasse ero uobis caput sine lingua, & adfe ram etiam consilij aliquid in lingua. Interim tu mi fra ter cariß. cura sicut scribis, ut adueniens Rex talibus accipiatur muneribus qualibus tu scribis accipiendum, nam illa sunt regia, quæ tu minime regia esse existimas, Suilla, frumentacea, Bacchica enim non moror, qui ni hil nisi aquam bibo, quia dithyrambus non sum. Quan quam ille uetustißimus ὕδωρ δὲ πίνων χρηςὸν οὐ τέ κοις ἔπος, feras enim nugas quoq; & iocos, etiamsi Decanus es, ne existimes plane potestatem te habere re gibus pro tuo libitu imperandi. Reliquum est mi Gro ninge, ut Danieli κιβωτοποιῷ dicas ut paret nobis in terim spondam lecti Regij. Item mensam & alia quæ uos iudicabitis esse aduenienti necessaria, nam istorum operum ego nihil mecum affero, & utiq; multorum ta lium nobis erit opus, Libros & alia quæ misero inte

rim obſecro cures, ut Eccilius noſter ad ſe recipiat, nam id commodiſsimum iudico & ad meum aduentum diligenter ſeruet. De illo Sycophanta riſi & dolui, riſi quia res leuis eſt, dolui uicem optimi uiri Meloſingi cui in hoc, ut in alijs fortaſsis Chriſtiana pietas damno fuit, credidit nimis cito bonus uir, & deceptus eſt. Sed ego ſatis ſcio ipſum quoq; ſe ridere quod tam egregie paſſus ſit ſibi imponi à mendaciſsimo nebulone, dicito interim optimo uiro et præceptori cariſsimo meo, ut mihi ignoſcat ſi rideã, quòd Noribergẽſes etiam ficti tam facile Erphurdienſes ueros poſsint fallere. Vale mi frater in Chriſto longe cariſs. & cauſſam noſtram cura quam primũ potes, ut effectã habeamus, à Paſchate ſtatim ero uobiſcũ, & niſi uos in culpa fueritis etiã ante Calend. Maij. Tuas literas ſerius accepi, quæ ſcriptæ fuerant pridie. Nõn. Martij, hoc eſt, 6. die Martij, quas ego accepi eiuſdẽ menſis die demũ 23. Iterũ uale. Cal. Apr. M. D. XXXII. Vere T. Eob. Heſſus.

Salutat te Regina amantiſs. ſed & Eccilium, ipſa enim ſcribenti adſidebat. Saluta fratrem Germanum tuum M. Nicolaum & Andream Hutthenum uiros optimos, & amicos cariſs. noſtros.

VERA VIRTVTE INSIGNI VIRO D. Ioanni Groningo Decano facultatis art. ſcholæ Erphur. amico incomparabili ſuo S.

Reſpons

RESpondi nuper ad tuas proximas literas Groninge mi carißime, quæ literæ si tibi redditæ sunt, nihil dubito quin uoluntatem meam intellexeritis omnes quorum ut imprimis interest, & scripseram antea D. Melosingo & D. Eob. & Sturtiadæ de mittenda pecunia, quã nondũ tamen accepi, & (ut uideo) ne conuitijs quidem extorquere à uobis possum, tametsi missuros polliciamini, quid refert igitur cito an sero mittatis? Ego omnibus dixi, ita me ambiunt Erphurdienses, ut et pecuniam missuri sunt, quotidie interrogor, ecquid miserunt tui Erphurdienses, ego quod respondeam non habeo, nisi hoc polliciti sunt se missuros, & boni uiri sunt, mittent haud dubie. Quid igitur me tamdiu frustramini, non cum pudore et ignominia solum mea, sed etiam iactura & detrimento non mediocri. An ignoratis bis dare qui cito dat? Hic multa sunt expediẽda quæ uos ignoratis & in eam pecuniolæ spem, multa distuli, quæ nunc uel omittere uel cum iactura prosequi coactus sum. Quid multa? pene irascor simplicitati meæ, quæ me semper naribus circumducit, ut bubulũ. Cunctationi uestræ obsecro ut tandẽ aliquẽ finem imponatis, mitto nũc uasa duo quorũ maius plenũ libris est minus parte suppellectilis domesticæ, ea mi Groninge uel ad te recipito, uel Eccilio nostro dato custodiẽda in aduentũ meum, & uectoribus exoluite pro singulis centenarijs singulos octonos Niuenses, reliqua mittã ubi uos pecuniã miseritis, quod ne facere diutius differatis p̃ fidẽ uestrã

uos

uos obſecro & obteſtor, egeo quidem multo maiore quàm uos mittitis pecunia, ſed erit & illa quædam iſtius cumuli acceßio. Hic ego iam periculũ ueſtri faciam. Nam hoc me habuit in tuis literis nonnihil male, quod ſcribebas frigere ſolere quæ pluribus committantur. Quid ſi ego uni tibi committam omnia? quia Decanus es inſtar omnium, & quot demum ueſtrum ſunt? quatuor opinor aut quinq;. Sed quid ago. Da operam ut uectoribus his ſtatim precium uecturæ exoluatur, nam illi ad me redibunt, & plura uehent, modo uos non tardaueritis de pecunia mittenda, quam omnino confido nunc eſſe in itinere, quod ſi nondum eſt, Deum immortalem quomodo non accuſabo fidem ueſtram. Statim à Paſchate adero, ſi mittetis. Oro ne differatis quod & faciendum eſt, & dilatum tam uobis quàm mihi eſt nociturum. Vale mi frater in domino carißime Norimbergæ.

Tuus Eobanus Heſſus.

ORNATISTIMO VIRO DOMIno Ioanni Groningo, Decano fac. art. Erphurd. amico ac fratri cariſſimo ſuo.

SAlue mi Groninge. Mitto iterum partem ſupellectilis regiæ, ut omnino cognoſcatis regem certo futurum

rum uobiscum breui. Pecuniam accepi, de qua nihil queror amplius, si potero curabo, ut omnium bona uoluntate discedam, quanquam adhuc metuo quorundam insolentiam, ut hic sunt ualde uehementes quidam in ijs quæ ad pecuniariam rem attinent. Scribebam hæc Prid. Paschatos inter turbulentißima negotia, ac multis ab omni parte obstrepentibus. Itaq; mi carißime frater boni consules & curabis, ut & hijs uectoribus fiat satis pro singulis cētenarijs pactus sum singulos nouem Niuenses grossos. Est enim hoc tempore ualde preciosa uectura, & ego cogor utiq; reculas meas transmittere quarum optimam partem libros iam habetis, reliquorum parū superest, nisi quæ nos nobiscum afferemus. Quicquid exponetis uectoribus de mea summa decedet, & defalcabitur, si alia uia non potuerimus exequi, nam & de senatu quidam bonam spem fecerunt. Ego uobis inseruire & prodesse, & etiam promißis meis cupio satisfacere, sed interim conijcior in turbulentißima negotia è quibus utinā sim explicatus. nemo uestrū credit quantum sit molestiæ & impendiorum ex una regione demigrare in aliam cum uxore, liberis, ac domesticis omnibus, & nisi sperarem rediturum me in portum apud tam fidos amicos poteram in hac urbe diutius consistere, & uiuere salario neutiquam pœnitendo: In summa mi Groninge cura, ut res meæ recte curentur, sicut te confido facturum sedulo. Sed heus tu qua nam in parte ciuitatis ea domus quam scribis mihi

uos cõnduxisse sita est? Scire peruelim ubi habitaturus sim. Sed nunc uale, ac uiue frater mi unice cariss. & salu ta D. Melosingum & Eccilium nostros amiciss. Ex Norico. M. D. XXXIII.

Tuus Eobanus Hessus.

SVO CARISSIMO D. IOANNI Groningo amico immortali &c.

Detrahit assuctis opulentia moribus omne
 Quod cultu dignum simpliciore fuit.
Donec eras de plebe aliquis non magna ferentis
 Nomina, non ficto pectore noster eras.
Sic ego ludebam lusurum plura, Camœnæ
 Sunt uisæ celeri deseruisse fuga.
Ipse manu calamos iratus fregit Apollo
 Iussit & insani carminis esse modum.

Quid faciam igitur? postquam omnis in te sæuiendi materia ablata est, uides tantum queri forte de te possum, irasci tibi non possum, alioqui sicut cœperam mordaci te perluissem aceto. Nunc quia fauentem habes Apollinem, etiam tutus es ab hac Poëtica iracundia, Quid quæris amplius? Irascor hijs uindemiarũ diebus totum te nobis subtrahentibus. Quoties enim domi tuæ nobis quæsitus hoc quatriduo nunquam inuentus es? Sed uindemiæ cur irascor cum

Iudicet

Iudicet ipse suo dignum me munere Bacchus
Quo mihi non alius carior esse potest.
Quo duce tot Cyathos labris sitientibus hausi
Quo domino toties pocula plena bibi.

Verum tum tecum esse mihi non licebit semper, ero tamen quo possum modo tecum uelis nolis, & tu nunc quoq;

Nam si non hoc est tecum Groninge fuisse
Qua tibi sim propior conditione doce.
Nam sic ineptas mißitare literas
Quid esse te rogo potest uir optime
Nisi Poëtam tecum ineptum uiuere?

Vides ut relabor in prohibitam, & interdictam paulo ante mihi materiam, à quo genere adeo non desino, ut ineptiam potius ineptißime, qui nisi ineptire nihil didici, et tam ineptus sum, ut nisi tecum ineptiam, credam me adeo ineptum esse, ut ne dignus quidem habear qui inter ineptos ab ineptioribus dicar ineptißimus. Sed ineptiarum nunc satis, ero aliàs ineptior. Nunc scribendæ sunt Noribergam literæ quas tamen nunc etiam ante prandium expediam. Vale ac uiue cum tuis omnibus et da operam, ut etiam inter illam suspectam nobis opulentiam fortiter ineptias, Ex regia ruinosa. Die Vrsulæ M. D. X X X I I I.

Tuus Hessus.

Ornatißi-

ORNATISSIMO D. M. IOanni Groningo amico suauißimo suo Eobanus Hessus.

PVra uides uerni splendescunt lumina solis;
Blanda serenatum temperat aura iubar.
Iamq; nouo reduces turgescunt germine syluæ,
Et tener æstiuas parturit annus opes.
Quam labefecit hyems reparat natura uigorem,
Plena sinu uario germine turget humus.
Et nunc ipsa suas ut opes natura resumit,
Nostra etiam melior corpora sanguis habet.
Qui quia temperie motus reparatur, & exit
Durior, at requie desidiâq; perit.
Iam noua cum Musis ineunda piacula, postquam
Ver aperit Musis gaudia, plectra, diem.
Nunc age non frustra nostris Groninge Camænis
Cognite, promißis mitibus adde fidem.
Adde fidem dictis non unquam fallere doctis
Pulpitaq; è larga redde petita manu.
Cras si forte uoles, nec uerna fefellerit aura.
Vnà ad apricantes expatiemur aquas.
Verna quidem, sed adhuc non torrida rura petemus
Sunt etiam feßis frigora grata, Vale.

Domi-

DOMINO IOANNI PRO-
cancelario &c. amico suo S.

NOn libenter occupatum te nunc rebus honestissimi Groninge impedio, sed tamē existimo te libenter hanc quoq; curam pro tuo Eobano suscipere, ut reuoces in memoriam ea de quibus proximis literis ad te perscripseram. Ea uero cuiusmodi sint, & ipse scis, & nunc ego peto ut præstes. Heri tecum esse, utinam potuissem, sed tamen secundum tuum præscriptum domum satis bene potus redij. Vale.

Tuus Eobanus.

MAGNIFICO VIRO DOMINO
Ioanni Groningo Academiæ Rectori principi &c. suo amicissimo S.

DE tesseris panarijs quod nuper dixi, & petebā, ut si commode, & aliqua occasione posses, mihi perficeres, optime Groninge, iterū peto, ut si queas unicam tantum expedias. Non gratuitam peto, sed mea pecunia pensandam. Nihil enim superest in regia farris aut Siliginis, & apud publicos artocopos emere durum, & dispendiosum est, ego intra octiduum dissoluam accepta à conuiuis meis pecunia, etiam si duo, etiamsi tres fuerint tesseræ, si fidem tuam pro me interponere non grauatus fueris, & meminisse debes hic et

similibus officijs amico te ut amicus inseruire, nõ ut Re ctor gymnasij subditum tibi despicere, & negligere. Ego hodie à prandio extra urbem me proditurum esse constitui, tametsi solus Georgius domi nunc est detentus aduersa ualetudine, quam ex casu ridiculo & supra modum mirabili contraxit, sed minime periculosam. Ridebis mirabiliter ubi audies, et ego hæc scribens præ risu, uix potui tantum scribere, Si uoles ueniam ad te, & exponam coram. Vale.

Tuus Hessus.

CANDIDISS. VIRO M. IOANni Groningo amico immortali suo S.

CRedo iã aliquatenus explicitũ te ab istis hilaritatibus, et cõpotationibus nostris. Quare mi Groninge etiam atq; etiam rogo, ut hodie, si qua fieri queat, mecum prandeas, adduces tecum Henricum nostrum, bona fide, nihil præter unum anserculum habiturus, atq; etiam bibiturus, quid quantumq; uoles, domumq; tuam mature rediturus. Nam & ego constitui aliquando esse sobrius, propter explicanda ea, quæ dixi nuper tibi in manus me sumpsisse. Et propter uos duos, ac etiam tertium Eccilium (si modo ille nos non contemnet) nemo alius quisquam aderit. Differam prandium usq; ad horam undecimam, si uoles forte tuos conuiuas ante quam huc descendas expedire. Si igitur nihil est,

quod te impediat, rogo te nobis, hoc est, tuo regi exorabilem praebeas. Puero iube dari acetum quo de nuper dedisti, & ego oblitus eram, nisi tu heri admonuisses. Vale ex Regia. Die conceptionis Mariae. M.D.XXXIII.

Tuus Hessus.

OPTIMO VIRO D. M. IOANni Groningo Viceecancellario &c. amico summo suo S.

Quam nulla fides sit in etiã magnis illis quibusdam & tu sentire potes Groninge, & ego sentio. Si aurũ mihi essent polliciti illi, me miserũ, qui me illis credidissem, qui ne ligna quidem praestant. Sed ego quidẽ hoc tempore facilius esurire, quàm frigere possum. Itaq; rogo te, id et tu agas, & cum reliquis amicis nostris constituas, ut in proximam sextã feriam ligna nobis coemantur, uel pecuniam pares, ut ipse coemam, nam ubi ego nimium friguero, frigebunt omnia quoq; circum me. Vale.

Tuus Hessus.

SVO IOANNI GRONINGO VIro cordatiss. Eobanus salutem D.

Si te non alio populosa negotia raptant,
Et potes esse uacans, & potes esse domi,

Ipse tuas ueniam conuiua iniussus ad ædes
Cum decimam tanget splendida uirga notam.
Cornigeros macta propere Groninge iuuencos
Pone Palatinas, fercula sancta, dapes.
Quanquam si dederis uel boluscula sola, negari
Conditum stomacho gratius esse meo.
Nam nec Aristippi sequor anxia fercula Regum
Diogenis doctus tuscula tuta sequi.
Et sunt insinuanda tuas mandata per aures
Publica, de nostræ conditione domus.
Nunc opus est Groninge tuum, nos reddere certos
Siue manere domi, siue uenire uoles.
Viue igitur, nostrum uocat hora propinqua Maronem
Qui nunc Regicolas uix bene pascit aues.

Quinta Februarij
M.D.XXXIII.

Vade salutiferæ post inclita tecta puellæ.
Littera, Groningi limina quære mei.

SVO GRONINGO ACADEMIAE
Principi uere magnifico Eobanus S. D.

Symbola (Pythagoræ sed non referentia Mensas
In quibus est fragilis gloria nulla Fabæ.)

Sed

Sed quæ σῖτα *bonus Cerealia dixit Homerus,*
σιτοφάγους *Muſas dixeris eſſe licet:*
Si potes hæc igitur, uel ab agro mitte paterno,
Aut hoc ſi nequeas, conſule πλοῦτον, *emet.*
Sic tibi ſint ſaluæ, tua per ſceptra inclyta leges
Quas heſterna dies te reſtrente tulit.
Sic tibi ſint faciles quæ præſtant iura ſorores,
Gratia ut alternis rebus ineſſe queat.
Sic tua lanificæ remorentur fata puellæ
Donec ſponte uoles illa ſubire. Vale.
ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις *ergo benigne*
Si facies aliquid fac cito, ἔγεντοχάρις.

XXI. *Iunij ſub exortum* Orionis.
Erphord. M. D. XXXV.

ERVDITIONE ET HVMANI-
tate ſummis prædito D. *Ioanni Gronin-
go* Erphurdiano *amico cariſ-
ſimo ſuo* S.

SEmel ad te ſcripſi Groninge cariſſime ab eo tempore, quo Erphurdia *diſcedens,* Martiburgum *perueni, tibiq; ſignificaui quo in ſtatu, quaq; in conditione nunc eſſent res meæ, poſt hoc tempus fateor nec ſcripſi quicquã, nec ſatis idoneus oblatus eſt tabellarius quo cum ſcriberem, aut ſi oblatus etiam ſemel fuit, non ſatis commode tamen potui, ad te præſertim cui quam accu-*

ratißime scribendum, semper existimaui, nunc uero, cũ Agnes nostra Erphurdiam reuerti cõstituisset, dedi has illi ad te, quibus rogo, ut illi, si officiũ tuum requisierit, quantum poßis prosis, si modo istic mansura sit, quod se tamen nondum dicit constituisse, à me nulla alia causa discedit, nisi quòd & mores Hessorũ fortassis non fert, et ad patriam respirat, nec immerito, iam enim quintum annum propter me uelut in exilio circumuagata est. Quod ad me attinet carißimi Groninge debes omnino existimare dulcißimæ tuæ consuetudinis memoriam, nullo ne momento quidem ex animo mihi posse excidere, adeo ut quotiescunq; de Erphurdia aliquid loqui contingat, tu in primis occurras, cuius quam possum honorificã mentionẽ faciam. Sed de hijs, & huiuscemodi, te nihil dubitare certo scio. Tu quid agas, quomodoq; tibi cum tuis Synaulis conueniat, scire uelim, rogoq; ut id mihi quamprimum poßis significes. Nuper mecum fuit hic Barbarossa Spangebergius, qui dixit te habere mandatum, à nostro Carißi. D. Iodoco Hesso, de caseolis nescio quibus mihi transmittendis, quod si est uerum, uelim eam rem nobis conficias quàm primum queas. Si quid est, quod ego uicißim tibi hic inseruire queam, iube, manda, impera, habes Regem non amantißimum solum tui, sed etiam tibi obsequentissimum. Vtinam uel una horula confabulari tecum liceat. Quam ego mi Groninge bene uolui isti ciuitati, quæ fuit erga me ingratißima, quã bene scholæ, quam

dolco

doleo collapſam, & ut non audio ſolum, ſed & ui-
deo funditus interijſſe. O Erphurdia miſeram, & in fe
licem te, quæ tua bona non intelligis. Sed reprimo affe
ctus, non enim hoc nunc erã acturus, niſi ſe ſua ſponte
locus obtuliſſet, de Erphurdia nihil queror amplius,
quãdo quid iſtic agatur, ad me deinceps nihil pertinet.
Ego hic in mea patria, & dulciter uiuo, & ut ſpero
conſeneſcã, quando iam ſeneſcere incipio, bene mi Gro
ninge, & recte per Deũ ualeo, ſplendidiſsime habito,
diuitijs non abundo ſicut noſti, tametſi Decanatu nuper
& mediocribus reditibus auctus liberalitate principis
optime de me, & ſentientis & merentis, cuius etiam be
nignitate breui me auctiorem fore ſpero. Alia omnia
recte nobiſcum ſunt. De uobis uehementer maximeq;
de te tuiſq; rebus omnibus ſcire cupio. Fac breui intellĩ
gam qui ualeas, nam id mea ſcire intereſt, & refert plu
rimum, cum ſis amicorum nulli ſecundus. Scripſi nu-
per Epicedion in mortem Eraſmi, quod uidiſſe te exi-
ſtimo, mitto tamen, in eodem leniter perſtringo ciuita-
tis ueſtræ erga me ingratitudinem, quod ſi tibi uidebi-
tur indicabis noſtro Lupo Tenſtadio, quem ſalutabis re
uerenter cum uxore, & liberis meo nomine, ſaluta &
cariſsimum amicum, & uirum plane optimum D. Hei
ricum Naccum συμπότην ἡμῶν, & cariſsi
amicum fratremq;, non tam tuum quàm meum.
colaum Algeshemium, & Andream Nutte
uxorcula blandula & amicula. Sed & t

conterraneam ne obliuiscare meo nomine plurimum salutare. Saluta & D. Vuolphium Miluitium congerronem olim nostrum suauißimum & Dominos utrunq; Heresbachium Baltasarem, & Ioannem cum filio. Eccilio nostro dices, ut professoris uestri, & successoris mei mores Olpij Dolpij bene & patienter ferat. Saluta mihi portenses omnes præcipue D. Cornelium & Iacobum. Scire peruelim ecquid agat noster Aperbacchus Medicus Regius, ecquid illi cum filio & nuru conueniat. Salutat te Regina mea ualde amanter. Si potero ad autumnum uos inuisam, non enim ita discessi Erphurdia, ut nunquam sim rediturus, tum fortaßis octiduum uobiscum pergræcabor. Reliqua tibi Agnes nostra quam tibi commendo, ut adiuues pauperculam. Vale. D. Iodocum Hessum in primis & ante omnes alios plurima salute meo nomine imperti, qui utinam quam rectißime ualeat, & dij deæque omnes illam molestißimam podagram ad inferos detrudant, ipsum nobis superstitem relinquant, & incolumen, quo uno ut me Deus amet, uirum non uidi meliorem, nec inter eius ordinis homines doctiorem. Salutabis & ipsum Oeconomum D. Georgium carißimum mihi olim combibonem, horum ego uirorum memoriam propter summa, & plurima in me collata beneficia nunquam patiar extingui. Iterum uale è purgo Martis, hoc est, ἐξ ἀρείου πάγου. XVII. Iunij M.D.XXXVII.

Tuus Eobanus Hessus.

Optimo

OPTIMO ET HVMANISSIMO *uiro D. Magistro Ioanni Groninge amico uere carißimo suo S. D.*

Gratiam & pacem tibi per Christum opto carißime mi Groninge, qui siue scribas, siue non scribas, at ipse fratris semper tamen, & perpetuo tui similis es, hoc est Eobanum tuum amare non desinis, nec desiturus unquam es. Patrono & amico nostro D. Iodoco simpliciter quid cogitem, scripsi sicut uidebis, non enim celabit te talem ac tam fidum amicum, & profecto hac occasione, quæ tamen utinam data non esset, cognoscet optimus uir, quadem amicum Eobanum habeat, qui non ad quamuis auram, ut multi, sit mutabilis, sed cuius & uerba & fides consentiant. Sed hoc ut spero reipsa comprobabitur, nam de tota caussa Ringlebiana, & ego optime spero, & uos sperare uelim. Profecto mihi turpe fuerit eum pagum non posse bonis uiris adserere, & restituere, quem ego iam carminibus celebratum toti orbi commendarim, quod ut uerum esse intelligatis, mitto cum hoc uobis Domino Iodoco, & tibi farragines meas nuper excussas, ut dum in possessione pagum illum non habetis, saltem in libro habeatis, ego curabo quod reliquum est, ut in possessionem quoque redeat. Quod omnia magno pretio uenire Erphurdiæ scribis, etsi ualde mi-

ror, tamen magis doleo istam miseram ciuitatem sic sua ipsius culpa affligi, ut sua commoda non intelligat. Quae enim possit esse caussa alia tantae calamitatis, quàm perpetua ordinum discordia, & inter se dissentientes magistratus. Ego quod de nostrorum concordia scripsi, de quo gaudere te scribis, uerum est, ut breui ipso exitu omnibus declarabitur. Te rogo mi Groninge, ut quam frequentissime amicum nostrum Iodocum adeas & consoleris, ne de amisso nimium se affligat, restituetur iure haud dubie, quod iniuria est ablatum. Ego ut spero breui uobiscum ero lætissima uobis nuncia allaturus. Saluta uicißim meo nomine opt. & amicißimum uirum D. Ioannem Eccilium, & Nicolaum fratrem tuum, & lupos omneis, & in primis Heinricum Naccum. Item D. Andream Nutthenum, et alios amicos nostros omnes. Deus te seruet fortunatum & incolumem mi Groninge. Salutat te Regina amanter. Datum Marpurgi Postridie octidui Paschatos. M. D. XXXIX.

Tuus Eobanus Hessus.

OPTIMO ATQVE HVMANISSImo uiro Domino M. Ioanni Groningo Canonico Erphurdiano &c. amico non secus ac fratri carißimo suo S.

Literas

Literas tuas mi Groninge Mense Septembri scriptas nuper accepi principio Mensis Augusti, quare non potes, etiam si maxime uelles, succensere mihi, qui tibi petita Epitaphia *non trasmiserim, libentissime transmissurus, si in tempore mihi tuæ literæ redditæ fuissent.* Miror *uehementer te istis asinis literas reddendas committere, qui ut nos oderunt semper, ita facile negligunt, deinceps cum ad me scribes, eris cautior, & certis tabellarijs literas dabis.* Nunc *uero quod petebas scriptum mittere tam sero non audebam, ueritus illos uersiculos quos misisti uestri professoris iamdudum fuisse adscriptos, & tamen significabis cum hoc nostro* Capella, *quid uelis me facere, si adhuc sit locus mittentur quàm primum, meliore ut opinor forma, & indole quàm habeant* Vlpianici, *tametsi hominem nec uidi unquam nec odi, scripserat enim nuper humaniter satis ad me, sed demiror tantum sui, ut audio, admiratorem nihil habere naturæ melioris, quàm quòd sic ineptiat, neq; credo istos, te etiam scio, non esse tam stupidos, ut illos uersiculos publice probandos duxerint, quanquam sunt tui ordinis maxima pars, perquam stupidi, & mirabiliter indocti.* Quid *agit noster* Eccilius? Iurisconsultum *ne? qualem solet subtilem quidem, sed* Pythagoricum, *hoc est, perpetuo tacentem, uelut in* Seripho *ista sua ranam quod huic ordini atq; ei professioni minime omnium esse faciendum*

dum nemo non uidet nisi qui nihil uidet. Saluta carißimum Eccilium mihi milies, & præbibe meo nomine aliquid uilli optimi, & hortare, ut aliquid tandem ad nos scribat. Ego in uertendo Homero occupatißimus sum, & iam circa medium. Iliados uersor. Reliqua ex Capella nostro haud dubio audies omnia, utinam hic me splendidißime habitantem uideas, non poteris hæc uidens non irasci sordibus Erphurdiensibus. Breui habiturus ædes proprias sum, et ut spero elegantißimas liberalitate principis opt. Vos me ne in sordibus quidē habitantem pati potuistis. Ad mortem eorum omnium, de quibus scribis præcipue uero Aperbacchi nostri satis ingemui. Vtinam patronus, & amicus noster D. Iodocus Hessus omnium sui ordinis, quos unquam uiderim doctißimus, & non solum ingenio, sed etiam humanitate princeps, quam rectißime ualeat, & cum ista sua tyrannide pedum pulcherrimam pacem obtineat. Quem salutabis quam primum, & quam potes reuerenter meo & Reginæ meæ nomine, & dices podagram nostram ipso hortante sic à me acceptam uagari paßim iam per Germaniam, & conqueri de me, qui eam accusarim nunquam quicquam de me male meritam, itaque scribendum alium libellum esse, quo iram eius deprecer, uidetur enim & mihi minari se talionem ex me reposcituram. Videat igitur D. Iodocus in quæ pericula me sua temeritate coniecerit. Quanquam & ad eundem ipsum scribam, cum hoc etiam capella, tamen

men uolui & tibi accusationem illius adeundi præbere, ut ita rescriberes, si ille fortasse non posset. Credo enim tibi daturum hoc negotij, quæ ille responderit, uel si quid ad me demandet. Saluta D. Vlpium, cui non uacabat nunc scribere. M. Iacobum, & Cornelium Episcopos portenses amicos cariss. nostros. Saluta itē optimos uiros aulæ Moguntiacensi præfectos D. Michaelem præfectum culinæ, ut uocant, uirū optimum, et D. Doctorem Matthiam Sigilliferum. In primis dominum & compatrem meum cariss. M. Henricum Vrbanum, cui scribam si potero, & nunc feliciss.ime fac ualeas mi carissime Groninge, & cum hoc amico nostro omnino rescribe, & de omnibus Martiburgi XI. Aug. M. D. XXXVIII. Salutat te regina ualde amanter.

Tuus Eobanus Hessus.

OPTIMO AC HVMANISSIMO VIRO Domino Ioanni Groningo Canonico &c. amico carissimo suo S.

Mitto tandem tibi toties petita epigrammata, nullam aliam ob rem Groninge mi carissime, nisi ut tibi toties instanti tali amico morem utique gererem, et gratum facerem. Nam quanti me hoc munusculum facere existimas quod missuros istos scribis. Sed tamen nosti

nosti mores, & consuetudinem meam. De caseolis ue-
lim diligenter procures, & reuerentia summa salutes
uirum opt. patrem suauißimum Iodocum Hessum, cui
scribere non uacabat. Scribam autem breui, multa enim
sunt, quæ illi uiro, & tibi significanda ducerem tum
de meis studijs, tum quibusdam alijs de rebus. Versu-
um credo, non penitebit uos; pauciores pro ea senten-
tentia fieri non potuerunt. Tu inuenies aliquem, cui ca-
seolos tuto committere queas. Non uacat pluribus. Sa-
luta optimos uiros & carißimos amicos nostros, Nico
laum fratrem tuum, Eccilium, Andream Nuttenum,
præcipue nostrum carißimum compatrem. D. Vuol-
phium illum, ut aliarum rerum parcum & plane
Euclionem, ita uini liberalißimum. Et uale quam feli-
ciß. frater carißime mi Groninge. Ex Martis pyr-
go. Noui nihil est, quod breuiter tibi significari
poßit, nisi quod ex Anglia mihi scribitur, ibi quoq;
me haberi Poëtam horum temporum summum. Sed
plura breui, ut spero, reliqua ex Mathia. Hæc enim
scribens adhuc ex dolore dentium laborabam. Iterum
uale XXIII. Nouembris M.D.XXXVIII.

Vnice tuus Eob.
Hessus.

HVMANISSIMO VIRO DOMINO
M. Ioanni Groningo Erphordiano &c.
amico longe carißimo suo S.

Scripsi

SCripsi nuper cũ Mathia, cursore publico ciuitatis uestræ, & misi dudũ à uobis desiderata Epigrammata Groninge mi carissime, pro quibus si munusculi aliquid missurus ad me fuisti, da id Hieronymo meo quem cum fratre Iulio ad uos remitto, nam metu pestis illius quæ prorsus hic nulla est, sed rumor uanissimus coortus scholam nonnihil perturbauit. Itaq; cum & alij quidam in Thuringiam hinc abirent, rogarunt, & hij mei, ut unà ipsis proficisci permitterem. Quod eo feci libentius, quod alioqui Hieronymum, qui hic ante biennium Baccalarius effectus est, ad proximum uernum tempus missurus sum Vuittebergam ad Philippum, Iulium in Aulam ad Cancellarium Hessiæ. Hijs rogo benignum te præbeas, & existimes certissime te ipsi tuo Eobano facere quicquid hijs beneficeris, cui etiam beneficia in filios collata multo sunt gratiora, quàm si in seipsum conferantur. Scripsi Magistro Henrico Vrbano compatri meo carissimo cui Iulium patrinum commendaui, & commendatum fore confido, certa spe optimum uirum facturum quæ possit in communem filium Iulium Vrbanum, nam ut ex me natus, ita per illum in Christo renatus est, Hieronymus opinor à Domino Sturtiade non repelletur. Vtrunque tamen tibi mi Groninge summopere commendo. Rogóq; ut optimo uiro patri ac principi Carthusianorum eos ita commendes, ut si unquam Eobanum sicut certe fecit facitque, uere amauit, in hijs ostendat

fidem

fidem & amicitiam erga me suam. Vtinam optimus uir optime, sicut dignus est, ualeat, nam de ualitudine ipsius ut incertus sum, ita per tuas literas cupio quamprimum fieri certior. Saluta Oeconomum, & dispensatorem ipsius D. Georgium, & dicito magnum me ipsi calicem propinare cui istic satisfaciat. Breui mittam Psalterium nouum & alia quædam. Reliqua ex filijs, saluta fratrem tuum uirum optimum M Nicolaum D. Andream Nuttenum & bonos omnes. De casceolis nihil remitto uobis. Si potero scribam, & domino Iodoco Hesso Carthusiano cognomini meo. Fac sentiam filios te habuisse commendatos, saluta Eccilium carissimum, et impelle, imò coge, ut scribat aliquando ad nos. Martiburgi Dominica post Luciæ M. D. XXXVIII.

Tuus Eobanus Hessus.

HOmerus meus strenue procedit, & iam finem spectat, proximis nundinis spero dabitur Typographis excudendus, ut & Eobanicum Homerum habeant, qui Smyrnæum non intelligunt. Noua ex filijs audies de Turca profligato & barbarossa maritimo prelio uicto, & nouo quodam Deo &c. De mea ualetudine ijdem te certiorem reddent. Ex crure ualde mirabili casu pene confracto adhuc decumbo, alias bene ualeo. Stipendium habeo C L. aureorum annuum. Idque nuper liberalitate principis mei consecutus, quod tibi gratissimum esse scio. Iterum uale.

D. Hen-

D. Henningo &c.

Henningo Goedo grati posuere minores
Per sacra qui nostris Scæuola iura fuit.
Ille scholæ sacrum templi tulit huius honorem
Albidos ad ripas ossa sepulta iacent.
Ter quinq; exierant à nato sæcula Christo
Ter septem messes adijce, quando perit.

D. Mathiæ &c.

Vtraq; Maiero deberent iura Mathiæ
Nunc quoq; ni magnis mors inimica foret.
Præfuit huic templo magna pietate Decanus
Mors Neopyrgiaco condidit ossa solo.
Mille anni, & quingenti ierant ter & ordine deni
Cum tanti pietas desijt esse uiri.

D. Ioanni Fabro.

Mille & quingentis ter denos tresq; bis annos
Adijce, ut à Christo est nostra redempta salus,
Cassus Ioannes Faber est uitalibus auris
Maiero & famulus qui tibi Goede fuit.
Illius impensis præsens tibi picta tabella est
Qui spectare libens talia facta soles.

HVMANISS. VIRO D. M. IOANni Groningo amico ac fratri carißimo suo.

SAlue per Christum Groninge mi carißime. Quòd filijs nostris hac hyeme benefeceris, eosq; liberaliter habueris, loco erit mihi beneficij immortalis, quicquid enim in eos contulisti, plane in me collatum esse debes iudicare, atq; etiam plus quam in me collatū. Ego non ero ingratus, pro isthoc tuo merito, ex quo facile agnosco, non fictum esse amorem quo tuum Eobanum prosequeris. Scripsi optimo patri & amico carißimo utriusq; nostrum D. Iodoco de prædio Ringlebiano nuper ui illis ablato, quid constituam, quid sperem impetrare me, per meum principem posse, modo is conualescat, ut iam conualescit, de ea ægritudine qua iam integrum fere mensem in medijs comitijs Francoforti decubuit. Te rogo, ut D. Iodocum patronū nostrum adeas, atq; ex eo perquiras, quid faciendū ipsi uideatur, &, si opus sit, faciat me cum hoc Sebastiano, quem nosti uel suis uel tuis literis certiorem. De conuentu nihil noui habemus, adeo ut ipse Melanchthon ad me scribens, dicat nihil dam ne se quidē scire, quid istuc parturiatur, adeo tacita & occulta esse omnia, bona tamen spes est pacē & tranquillitatem ubiuis gentium esse futuram, præcipue uero concordiam inter partes, id quod summo cum gaudio nobis omnibus est accipiendum, et gratiæ agendæ Deo immortali, qui tandem istas perniciosißimas dissensiones finire, et componere sit dignatus, nam ita certo institutum est, ut à tribus utrinq; tota res in unum consensum componatur, ad hoc dictus est locus Noriberga

berga nostra. Tu mi Groninge uale & rescribe, cum hoc nostro. Salutat te Regina. Caseolos perpaucos accepi, ut ante scripsi. Iterum uale. Marpurgi festinanter. Prima Aprilis. M. D. X X X I X.

Tuus Eob. Hessus.

HVMANISSIMO VIRO DOMIno Magistro Ioanni Algeshemio Groningo amico ac fratri carissimo suo S.

Scripturo ad te carissime mi Groninge, uix dabatur tantillum spatij, ut literas, uel scriptas complicarem ne dum scriberem, quare dabis ueniam huic breuitati nostræ, uel eam ob causam, quod prolixitate nimia sæpe fuisti offensus. Ego nunc adorno me, & multa mecum ad proximas imò iam cœptas nundinas, ad quod iter cras accingar Deo uolente. Omnia precor mi Groninge tibi succedant ex animo, nec secus ac uis eueniant, de meis fortunis meoq; statu ac rebus omnibus ex hoc nostro Capella intelliges omnia melius, quam ego scribere queam. Breuis esse laboro, obscurus fio. Quid agit noster Eccilius? quamdiu sic eleganter, ac munde Rhetoricabitur, ac iurisconsultum interim aget elinguem, hoc est, caput iurisconsulti sine lingua? cum maxime hoc tempore eius generis hominibus opus sit lingua, adeo ut etiam inutili sæpe utantur. Saluta nostrum optimum

(Eccilium dico) meo nomine suauiß. Vtinam mihi uersari uobiscum uel uno die liceat, sed hoc quia denegatum hoc tempore nobis est, consolemur nos, quod unum restat, mutuis literarum uel ineptijs, si apte nihil possumus, nam has ego ineptias mirum in modum amaui semper. Saluta fratrem Germanum tuum Nicolaum. D. Andream, & uirum uere bonum & mei amantißimum D. Michaelem præfectum aulæ Moguntiacensi. Item M. Bertholdum &c, & uale bellißime. Marpurgi XV. Marcij. M. D. XL.

Vere Tuus Eobanus
Hessus.

Commendo tibi Capellam quam possum diligenter. Quicquid huic præstiteris, mihi præstitum puta.

HVMANISSIMO VIRO MAGIstro Ioanni Groningo amico non secus ac fratri carißimo suo S.

TE mi Groninge frater carißime recte ualere nihil dubito in ista tua beata (si recte utaris) & te digna tranquillitate, tametsi enim tibi uiuendum est, cum multis alijs tam uita quàm moribus tibi dißimilibus, tamen si à consuetudine, hoc est, à natura tua non recedas, quod facere te non posse scio, fieri non potest, ut non quam suauißime ocio, & negotijs tuis utare, modo ueritatis conscientiam ne abieceris. De Capella

nostro

nostro cui has ad te dedi, dubitabam, cum hæc scribe rē, an ad uos ipse esset peruenturus, siue igitur ipse has ce redderit tibi, siue per alios reddi curauerit, rogo cau sam amici communis, & uiri optimi tibi commenda tam esse patiare. Nō credo esse opus multis hæc uerbis differere, cum tu caussæ seriem totam noris optime, præ sertim uero petimus, ut apud uicinum tuum uirum hu maniss. D. Ioannem Mengerhusium illi adsis in adse quenda parte debiti, quo ipse Hermanus uxoris frater obligatus est, quo ipsi nunc uehementer opus est, tum ad coemendos libros tum ad cætera, ad ipsius professio nem spectantia, ut latius ad D. Mengerhusium perscri bemus, quàm & obsecro quam officiosissime meo no mine poßis, salutes. Ego sane mi frater, scis enim hoc nomine ab opt. uiro donatos, iocari tecum perpetuo malim, quam serijs agere. Quare scito nos hic perbelle uiuere habitare amœnißime, esse in summa gratia apud principem, ut etiam plerunq; me accersitum familiaris sime habeat. Stipendium dat quotannis centum quin quaginta florenates, & frumentum, & domum pro priam, & hæreditariam breui daturus est, & indies plura & meliora spero, hæc sunt quæ me patriæ nunc obligant, sic ut uix uidear, hinc alio discessurus. Quan quam Lipsiam quidem cogitaram, quod offenderer mirum in modum moribus patriæ, si ea schola (ut bo na & quasi certa spes est refloresceret) nunc uero & moribus horum hominum aliquatenus assueui, &

longe alia eſt uoluntas principis, qui abire me hinc non ſinit, quantumuis magno retinendum, ego interim non deſino meo more uiuere, qua ex conſuetudine etiam ſi nunc ſeneſcens morbos contraham, ut nuper podagram infeſtiſsimam, & tuſsim, qua adhuc laboro, tamen non diſcedo. Sed ne charta nimium excreſcat finem ineptiendi faciam teq; rogabo ſi libeat modo, tu quoq; mihi perſcribas de toto ſtatu, ac omnibus rebus tuis, et ſalutes meo nomine Lupos noſtros tres, ſcis quos dicam, & quam rectiſsime per Chriſtum ualeas cum tuis omnibus. Martiburgi. XXV. Iunij. M. D. XL.

Vere tuus Eob.
Heſſus.

Epiſtola

EPISTOLÆ IOACHIMI CAMERARII.

EOBANO HESSO PRINcipi Poëtarum S.D.

Ecquam audiuisti aut cognouisti unquam ulli iniuriam factam indigniorem quàm est amico nostro Nigrino? Me autem si persequor petitionem, ne conqueri quidem, de hac concedetur, neq; declarare dolorem in amici aduersis. Itaq; *quidam, nequaquam infimæ conditionis homines mihi autores sunt pulcherrimi facinoris faciendi, sed audacis.* Mihi *uero cum multa animo obuersentur, pœne sola* Pæti *mei absentis me consideratio retundit.* Cupio *tamen & tuam sententiam cognoscere, de qua fortaßis, & consilij aliquid excepero.* Vale. *Nostra* ψυχαγωγία *procedit. Instruitur res quibus copijs in hac nostra inopia potest.* Vestes *corrogantur.* Alia *à nobis parantur.* Estq; *puerorum imprimis* Stibari *nostri magna sedulitas, & industria etiam nonnulla.* Videbis *igitur breui* ἑρμῆν χθόνιον, Tu *scilicet* Ζεὺς ἐσσὼ, *id est,* Iuppiter *meus, &* Poëtarum Rex. Vale *è nostro* Museo Pætiano.

Ioach.

EXIMIO VIRO AC POETAE PHILIPPO ENGENTINO S.

Humanis. quod fuere, quot sunt,
Et quot sæcula proferent futura,
Inter Renigenas decus Philippe.
Magnas hac tibi gratias papiro
Reddit pro meritis tuis amicus,
Quo nemo leuiorq; uiliorq; est,
Vati quo grauior priorq; nemo est:
Quod uestras ubi nuper attigisset
Terras, tuq; tuusq; Bederotus,
O quàm splendida corda, quamq; fida,
Mansuetudine, liberalitate,
Cunctis officijs benignitatis
Fouistis uarioq; recreastis
Sermone illius ex dici aquarum
Totum se bene copia madentem,
Hic uester mihi candor est fidesq;
Spectata, integritas, amor, uoluntas.
Gratus pro quibus hoc ego repono,
Quod possum mea quodq; dat facultas,
Vt non præteream silenter ista
Quæ nostri studiosi amici honoris
In nos meq; meosq; contulistis

Dilectos

Dilectos Comites, quibus disertum
Nobiscum placuit uidere Erasmum,
Cuius gloria quantus orbis hic est
Et forsan patet amplius, superq;
Digna sidera laude subuolauit.
Quo magno prius Herculi, Iouisq;
Sescentis alijs datum est uenire
Natis atq; nepotibus, suarum
Virtutum preciumq; præmiumq;.
Quin uiuo quoq; filius Philippi
Diuinos sibi postulare honores
In terris fuit ausus, exhiberi.
Te uirtus tua rectius beabit,
Vel nunc, uel tua posteaquam in alta
Cœlorum atria uita commigrarit,
Obstat si quid adhuc, Erasme, uiuo
Quod plane uetet esse te beatum,
Vt multum solet inuidere præsens
Aetas, atq; superstiti nocere,
Semper posteritate iustiore.
Sed quo iam feror? unde nunc aberro
Extra septa uagus? redire præstat
Rursum illuc prius unde sum digressus.
Ergo quod licet id tibi rependo,
Et grates ago non potis referre.
Ac amicitiam manere cœptam
Tam fausta atq; bona auspicatione

Nos inter peto, semper indiremtam,
Et ni uos uerear nimis grauari,
Iam nunc & tua postulem uicißim
Et cari mihi scripta Bederoti.
Qui tu pieridum ut tenes Philippe
Primas uerticibusq; fontibusq;,
Campis, uallibus, amnibus Latinis,
Sic Graio facile inter ore princeps
Omnes eminet unus, inq; tanta
Turba Cecropiæ emicat Mineruæ.

Argentinæ Id. Iunij Anno 1524.

IOACHIMVS CAMERAR. SODAlibus suis Vuittenbergæ.

O Mihi dum licuit gratiß turba sodales,
Atq; animo egregie nunc quoq; cara meo,
Quam legitis uobis hinc scriptam mitto salutem,
Quo Deus è socio iußit abire choro.
Nam si me uestrum cœtum liquisse putatis,
Et patria arbitrio rura petisse meo:
Me miserum cuius fortunæ iniuria tanta est,
Vt uos quæ non sunt credere facta iuuet.
Sic tamen & quod ago cedat feliciter, & me
Vrgenti eripiant numina sancta malo,
Sic mihi postremo non sit uisa Albidos unda,
Deniq; Philippeos fata redire lares,

Si non ut maneam, nam tantum nolo precari,
Ne non sint uoti uerba modesta mei:
Dum modo præsentes præsens complectar amicos,
Atq; iterum mœstum demq; feramq; uale:
Vt cessi inuitus sede urbe priore paterna,
Deseruiq; dolens dulce sodalitium.
Communes Musas studiorum Iuraq; testor,
Fineq; sic careat tam bene cœptus amor:
Vt postquam crebri uos unanimesq; secuti,
Velletis uestras quisq; redire domos,
Porrigeretq; mihi pro consuetudine dextram
Quisq; suam, mea me mens prope destituit.
Vos ipsi largis abeuntis deniq; nostras
Vidistis lacrimis immaduisse genas.
Albiaci uidere sinus, siluæq; Diboæ,
Inq; Erphurdiaco Gera lutosa solo.
Ipse pater Mœnus gemitus miratus obortos,
Credidit ob matris fata dolere meæ,
Et luctum patria uisa tellure nouatum,
Annos deducti funeris ante duos:
Et quem qua Rexi uiridantes exit in undas
Lætum, atq; in Francis uiderat ante iugis,
Nunc tristem esse dolet, secum caussasq; requirit,
At desiderium caussa doloris erat.
Me pater ac innupta soror cum coniuge fratris,
Egre, quod fugiam seq; suosq; ferunt.

Grandæuus,

Grandæuus, mihi sæpe tuo senium, pater inquit,
Obsequio, ut graue sit, perfice nate, minus.
Da ueniam longæue pater, qui nescio fiat,
Vt restent animo gaudia nulla meo.
Ergo mihi iratus consortia uestra negauit,
Inq; relegauit rura paterna, Deus?
O me felicem. si uestra cupido, sodales,
Respondet curæ uestraq; cura meæ.
Si sum uobiscum ueteri numeroq; locoq;
Præsensq; absentis uultus, & ora manent.
Tunc me non frangent, quæ multa aduersa fatigant,
Quæ ne uos cogam flere, tacere libet.
Ah iuuat & dulce est absentum nomina mecum
Dicere, non nihil hac arte leuatur amor.
Vt Iuuenis caræ nomen secum ille puellæ
Reppetit, Idalio quem domat igne Venus.
Hic mihi, quem Iuuenem puero olim Lipsia iunxit,
Qui tenuit fidus semper amicitiam,
Cogito, dilectumq; animo compello Sebaldum,
Munsteria genitum Noride & urbe, domo.
At de te studijs mihi conuictissime Caspar,
Quanta animum lacerat sollicitudo meum?
Francisci & Iani comitum uisentis Erasmum,
Atq; simul potero non meminisse mei.
Ballorhode ô dilecte uale in quo libera uirtus
Cum generis certat nobilitate sui.

Chilianum

Chilianum, Francumq; equitem, Musamq; diserti
Pachnolithi luctu sæpe requiro nouo.
At tu ciuilis iuris studiose Capella,
Qui quondam scriptis officiosus eras,
Si cesset pro te nobis tua littera mitti,
Quem non odisti, ne uideare, caue.
Te Syre, te Maior, teq; ô Spicere rogamus,
Me memore absentes pectore diligere.
Iane ministerio magni spectate Philippi,
Care mihi, & ualeas care minister hero.
Te ne ego prætercam, Vada Francica, cui patria urbs (est,
Et de Iustino nomina ducta manent,
Quæ quondam Rex ille habuit qui nobile legum
Collectum ueterum condidit autor opus.
Heu mihi heu Nessene iaces miserande, nec ad te
Hinc iam missa potest nostra uenire salus.
Te tamen & deflet lugubri uoce camena,
Infixumq; sibi mens mea semper habet.
Pindare qui saltus nobiscum sæpe dedisti,
Quos exercitium posceret ingenuum:
Vosq; alij quorum si nomina sola referrem,
Multiplici carta scilicet esset opus:
Vos mihi dilecti, saluete, ualete sodales
Vitaq; uestra omni candida lite uacet.
Et quoniam semper me tam constanter amastis,
Deinde uoluntatem quisq; teneto bonam.

Esse prius flammis aduersus desinet humor,
Et guttas arens respuet imbris humus,
Et stabunt liquidi splendentia sidera mundi,
Terraq; erit giris mobilis alma nouis,
Anteq; in Antiquam cunfundet cuncta ruinam
Illa prius de quo nata fuere, chaos:
Quàm uestri ferat ulla dies obliuia nobis,
O animæ socij portio magna meæ.

Pabepergæ Anno 1514. Cal. Octob.

H. Eobano Hesso.

QVod quæcunq; hucusq; tibi à me littera uenit,
Officij & sensus fida ministra mei,
Non nisi lege carens & uerbis scripta solutis,
Missa tibi uatum est Hesse Poëta, decus:
Dicere si me uera iubes pudet, & tamen ille,
Non malus ut sit, res non facit una pudor.
Nam tanto qua fronte darem carmen rude uati?
Cuius ad arbitrium Musa uocata uenit.
Cumq; tot arua ferant Heliconis piguia sacri,
Vberior nulli quàm tibi cultus adest.
Ista probant quæ scripta fluunt tam diuite uena,
Luxuriansq; animus fertilitate sua,
Quodq; liquet nomen quando tua stamina neuit,
Fatali lachesin prouoluisse colo.

Seu te quod Regem facit ut placuisse uidemus,
Qui uicto laudes Hostrato ab hoste tulit.
Siue quod à Græca cœlum dat origine, quanquam
Hoc Hessum certum est imposuisse patrem.
Hoc igitur quid erat, quàm qui mare, flumina, fontes
Procreat Oceano mittere munus aquas.
Herciniæq; nouas frondes superaddere siluæ,
Vernantiq; uirens subdere gramen humo,
Bellatrici oleum quis donet habere Mineruæ,
Aut Cereri fruges uinaúe Bache tibi?
Cui noua decutiunt enata ex arbore poma,
Phæacum regi nemo dat Alcinoo.
Me quoq;, si unquam habui præsentia numina uatum
Omnia nunc celeri deseruere fuga.
Scilicet hoc cœlum non fert hæc terra disertos
Quosq;, pireneos, aspicis, esse putes.
Antiphatas sæuos interq; Cyclopia Saxa
Quis sit honos studijs præmia quæúe bonis?
Plura etiam quàm quot diuino carmine Chius
Monstra canit uates, tempora nostra uident.
Hæc uitam ingenuas, si qui excoluere per artes,
Perdere si poßint quomodocunq; student.
Ignoscas Eobane uelim mihi uera fatenti,
Me nostri studij pœne meiq; pudet,
Desertasq; domos Musarum & Apollinis arces,
Incolere ab quales te quoq; credo piget.

Vt taceam quanta immineant discrimina, habenti
Quae loca turba premit saeua inimica manu.
Ipse igitur dictum meditor uetus, & sapienter,
Qui latuit, uitam hunc instituisse reor.
Praesentiq; utor fortuna, & quo mea uertit
Vela, sequor, uasto uentus & unda mari.
Nec sector spretas doctorum numina Musas,
Iam uersat nullos dextera ut ante libros,
Quaq; solebamus ludendo scribere uersus,
Ducitur ignaua littera nulla manu.
Nam cur unde nihil redeat me littus arare
Cur, sterilive iuuet condere farra solo?
Nemo hac cui recitem tota reperitur in urbe
Scilicet aeternos scripta premenda dies.
Ac uelut aegri oculi solis splendore grauantur,
Sic est ad studij mens mea lumen hebes.
Et fugit infestas ueluti latronibus oras,
Aonios campos Aoniumq; nemus.
Et quia non studijs placet infelicia perdi
Ocia uitae olim mos erat ille meae:
Nunc ego seu posito uino, seu tempora ludo
Surripio, & misera conditione tero.
Haec etiam, quaecunq; uides, tibi misimus Hesse,
Plane desueta carmina facta manu.
Sed tu, pieridum melius qui tendis in arua,
Hunc cursum studij, quod bene cedat, ama.

Musarum cole sacra libens, nos quodq; legamus,
Ingenij pulcrum mitte uigentis opus.
Pabepergæ Id. Ianuarij Anno 1515.

Ioach. amicis S.

QVam legitis patria fugitiuam mitto salutem,
Qua prope iam restat nõ magis ulla domo.
Non mihi quod morbo deiectum corpus acerbo
Comminuat uires, ægraq; membra trahat,
Seu flammaq; geluq; alternis fessus anhelem,
Seu casu acta rotet triste grauedo caput,
Ipsa suum, si quis pertentet, uena tenorem,
Seruat & imposito rite sub ungue salit.
Sed quas delicias uos appellare soletis,
Heu mihi me quanto pene dolore necant.
Sic pereo quoniam curis consumor amaris,
Et uestram superant iam mala nostra fidem.
Sæpe uocant magni nos ad conuiuia amici
Et ponunt tellus quicquid & aura uehit.
Et qui pegnesso, qui glauci flumine Mœni,
Et riuis Pisces qui lacubus q; natant,
Sed stupidum, & torpens contemnit cuncta palatum,
Nilq; ibi quod nobis esuriatur adest.
Addunt quæ biberent Diui pro nectare uina,
Seu puer hac Phrygius siue Iuuenta daret:

Quae faciunt gustu nobis fastidia primo,
  Nec uereor puri poscere fontis aquam.
Opto, perpetuo non uos, sed talibus illum
  Delicijs, has si quis putat esse, frui.
Iam corpus qui non minus ac alimenta putatur,
  Nutrire, est lecti pondus inane, sopor.
Non quod ego uigilem, sed quod uigilante labore,
  Haud ulla somnus membra quiete leuet.
Quodq; solent alij ceu portum optare malorum,
  Quorum corda graui fessa dolore labant,
Nos quoniam crescunt illo fatalia damna,
  Tam celeri querimur tempus adesse pede.
Omnia sic intus turbis saeuoq; tumultu
  Collidit strepitu turba diurna nouo.
Et mea fortunam miserandam experta diei.
  Mens, instaurato nocte dolore, pauet.
Nunc eat & miserũ me aliquis neget, & mihi poenas
  Infligi offensi numinis arbitrio.
O ego si poßim curarum auertere fluctus
  Vt sint placato corda quieta Deo,
Non uerear latices dulces uitare lyaei,
  Scilicet & hausto pellere fonte sitim.
Non epulas uentri subducere & ocia uitae,
  Non mihi suspecta nolle quiete frui.
Aut, quoniam non perdurat sine uita quiete,
  Sustineam dura ponere corpus humo.

Verum hic non reddit felicia numina cultus,
Obsequia à nobis nec petit ista Deus,
Ergo alia est animi uitium, mentisq; fuganda
Anxietas isto quàm diuturna, modo.
Hanc nisi iam pro fratre mihi tu Mica leuares,
Iam non tristitiæ mens mea ferret onus.
Tu naui es seuis agitatæ fluctibus in quem
Et qua se referat, portus & aura meæ.
Cognatusq; tuus fracto undis firma faselo
Terra est auxilio consilijsq; suis.
Ferte precor mihi semper opem quia semper egebo,
Dum culpæ pœnas exiget ira Dei.
Qui meritas nobis minuat nisi tollere malit,
Quàm poterit uestra quisq; rogato prece.
Prid. Nonn. Martij Anno Christi 1 5 1 5.

IOACH. CAMER. EOBANO Hesso.

HAnc è Vindelicis socius tibi mitto salutem,
Pierij felix agminis Hesse decus.
Scilicet autoris necdum scis nomine lecto,
Vnde sit, & cuius carta notata manu.
Vel quia consuetam puto te bene noscere dextram,
Vel quia nulla Hessum Musa latere potest.
Nostrum igitur miraris iter, caussamq; requiris,
Otia caussa mihi sunt inamœna uiæ.

Quid facerem dum me reſponſa manenda morantur,
   Conſiliumq; mihi iudiciumq; ſilet.
Heu mihi nulla fides, quæ ſi foret ulla relicta,
   Iam ſtaret portu noſtra carina ſuo.
Nullus erat tota iucundus in urbe ſodalis,
   Longi reddebant omnia longa dies.
Ipſe etiam ſpacioq;, & ui ſudoris Apollo
   More ſuo feßis lentior ibat equis.
Ergo ego ſuſcepi quod tædia fallere poſſet,
   Qua ſua Vinda Lyco flumina miſcet, iter.
Vinda parum à propria deducto nomine uoce,
   Si proprium quod nunc Vincla uocatur habet.
At tua ſi ſcirem quo ſit Montane colore,
   Quo ſit dixiſſem uerſibus unda, Lyce.
Nam neq; quod uiridis nimium eſt, bene glauca uidea
   Nec uiridi ſatis eſt, nam nimis albet, aqua. (tur,
Quæ neglecta tamen uiridans ſitus occupat æra,
   Is facit hanc aliquo dicere poſſe modo.
Quoq; magis noſcas de fontis origine diſce,
   Per iuga de liquida nam uenit alta niue.
Hæc, quam præcludunt duo flumina, uenimus urbem,
   Iam medium phæbo perficiente diem.
Quid quæris? non eſt opis, huius dicere, noſtræ
   Diuitias, poſitus, mœnia, templa, domos.
Tu quoq; Pegneßi laudes qua littore muros,
   Huius ea debes concinuiſſe, Lyra.

Romanum agnosco nomen uiresq́; Latinas.
Hic igitur ciues Roma fuere tui.
Non tamen & cæsas Germano marte cohortes,
Hoc Auguste tuas arbitror esse loco.
Quod quidam pictumq́; dedit scriptumq́; reliquit,
Serius huc uenit copia, Roma, tua.
Verum propositi non sunt hæc seria nostri,
Incœptum teneat nostra Thalia suum.
Hesse mihi studij communibus addite sacris,
Quam miseri indigna conditione sumus?
In tanta tam culta opibus rebusq́; potente
Quis tamen & nostris artibus urbe fauet?
Attamen eductas cœlo prosternere moles
Sæpe solet, nullo concutiente, dies.
Vrit uastatrix auratum flamma Lacunar,
Callidus effossa fur rapit æra domo:
Robore fulta suo est sola immortalis honestas,
Sola hæc diuini seminis instar habet.
Quæ, quia nostræ artes huius cultura perilis,
Heu mihi quo nostro corruet illa malo.
Quæ sero, & plagis docti credemus, at illa
Cognitio diri caussa doloris erit.
Quo rapior quasi equo indomito cũ frena momordit,
Curriculum teneat nostra camena suum.
At tamen Hesse dolet, propior sed me dolor urget,
Quem lenit studio Calliopea suo.

Hos etiam scripsi nostri solatia questus,
Quae ueluti debes consule scripta boni.
Quod superest, haec est uotorum summa meorum,
Vosq; statim ut liceat uosq; uidere diu.
Augustae Vindel CL. Iunij. Anno Christi.
1527.

IOACH. CAMER. H. EO-
bano Hesso.

MAgne uir & nostro uatum clarißime saeclo,
Praecipua & nobis Hesse colende, fide.
Quaeris quid tibi uenturo mandemus in illud,
Quo data prima mihi sunt alimenta, solo.
Dulce alijs hoc dulce mihi est, si uera fatendum,
Hoc mihi caussa tamen tempore, moesticiae.
Tempus erit melius fortasse & nubibus actis,
Adueniet grata luce serena dies.
Nam neq; perpetua nigrum est caligine coelum,
Nec semper longo Iuppiter imbre pluit.
Saepe etiam aethereum lumen solesq; reducit,
Et Zephyros leni murmure flare iubet.
Quam spem multa mihi faciunt, & maxima quaedam,
Sed quae nunc tacito sint retinenda sinu.
Sed tu si patriae continges oppida nostrae,
Infesta, at nullo crimine laesa meo,

Testor

Testor & ipsius contraria numina nobis,
Cum non esse etiam nulla benigna putem:
Quicquid, id est sortis, quæ nos inimica fatigat,
Immeritum nullo perdere iure caput.
Ergo ubi non altis munitam mœnibus urbem,
Videris & nostræ tecta paterna domus,
Indignante uicem nostram me mente requirens,
Dicito cur mihi non es Ioachime Comes?
Adijce eris sed forte breui, si uota benignum,
Spes bona quod spondet, sunt habitura Deum.
Ac iam magnifici superaris limina Pauli,
Qui decus est generis qui patriæq; suæ,
Qui quoniam colit hoc despectas tempore Musas,
Se modice cultam Pieris esse negat.
Nunc etiam steriles nos exercere camœnas,
Aruaq; spe nulla conseruisse iuuat.
Exemploq; labos pulcerrimus esse probatur,
Quis fugienda sibi quæ facit ille putet?
Illius intra igitur postquam penetraueris ædes,
Aoniam præsens contigerisq; manum,
Dixeris & gratæ, ut consueuit, uerba salutis,
De quoq; sit nobis dicere cura tibi,
Quid quæris dicenda tibi? notißima quæ sunt,
Et me scis semper de quibus Hesse queri.
Summa tamen quædam tibi commendabitur, illum
Propugnare uelut meq; meosq; roga.

Sed de me quamuis studium curamq; remittat,
Ne modo subuersos deserat ille meos,
Indigna in luctu atq; situ ratione iacentes,
Non ulla culpa commeritóue suo.
Hoc sat erit. Verum quàm posſit ferre petenti
Me melius præsens ipse uidebit, opem.
Vt se cuncta dabunt, occasio ut accidet ulla
Sic nostri rogites ut meminisse uelit.
Hæc tu si Musas spirante peregeris ore,
Ipse uiæ tulero præmia magna tuæ.
Quodq; mihi posſis facere istic hoc erit omne,
Vtq; uelis, nostri mutua cura iubet.
Quod nisi quam cœlo deiecit Iuppiter olim,
Nunc premeret nostram pestis acerba domum,
Me quoq; non præsente tibi nonnullus haberi
Gentis honor poterat sedulitate meæ,
Nunc cura officij mœrore repellitur omnis,
Ipsa sua & tractat uulnera sola manus.
Restat ut à magno mox Hesse reuersus amico
Hic cuncta à nobis experiare, Vale.

Norimbergæ æquinoctio autumnali
Anno 1527.

IOACH. CAMERA. GEORgio Sabino S.

Cum tua pieridum contingant nomina laudem
Quęq; facis celebris carmina fama uehat,

Et studij quantum huc operæ puer usq; dedisti,
Præmia, doctorum, digna sequantur, amor:
Quam mihi misisti cur non sit littera, miror,
Scripta per alternos officiosa modos.
Veneris ac potius numeris & lege soluta,
Grata quidem, & tamen hoc nomine grata minus.
Me memini ingenium quamuis rude sæpe probare,
Et tua non notis pectora plena Deis,
Cumq;, quod indicium successus esse putabam,
Tam puer excellens aggrederers opus.
Risimus ad quædam studij primordia grandis,
Conatum uires exuperante tuas.
Et fuerat noster risus tibi caussa pudoris,
Fallor an & lacrimis immaduere genæ.
Quid mirum si quæ caruit structura Magistro,
Principio multis est uitiosa locis?
Omnibus accessit decor arte & tempore rebus,
Humanus potuit quas dare cunq; labor.
Quæ madidas emersa comas ex æquore siccat,
Haud temere ex petra scilicet exiluit.
Quæ nitet in rutilo facies expressa metallo,
Seu tua rex Macedum siue Darie tua.
Hæc altis fuit ante metallica massa cauernis,
Aut in arenosæ littore segmen aquæ.
Perfecit simul atq; simul natura creauit,
Terrarum cernis quicquid in orbe, nihil.

Tu quoq; cuius erant operum primordia nuper
  Talia, Pegasidum gloria fontis eris.
Hanc faciunt mihi scripta fidem tua carmina certam,
  Illa tuis annis grandius instar habent.
Argumenta tenet sed quod non una, decebat
  Hortatorem etiam carmem adire suum,
Inter ego te sum multos hortatus ut esse
  Quantus es inciperes, post modo quantus eris.
Si mihi quos legerem inuidisti mittere uersus,
  Inuidiae haec sceleris non leue crimen habet.
Quid dicam esse aliud caussae? tua quando feruntur
  Vndiq; doctorum scripta per ora uirûm.
Nunc tamen haec fuerit forte inquisisse malignum,
  Hac igitur ueniam nos tibi lege damus,
Si mihi post quoties poteris quotiesq; licebit,
  Imparibus mittes scripta notata modis.
Ipse etiam quoties potero quotiesq; licebit,
  In respondendo non taciturnus ero.
Caetera quae missa legi mandata papiro,
  Nostra effecta tibi sedulitate dabo.
Quod superest dilecte mihi, stirps inclita phaebi,
  Hoc agito ut fructus, quos pollicere, feras.
Et mea scripta animo non indignante Sabine
  Accipe scripta tui plena fauore, Vale.

Norimbergae Non. Decembr. Anno 1528.
H. Eobanus

H. EOBANO HESSO

Ioachimus.

Qvis tibi uisus heri qui nobiscum fuit hospes
Hesse, uetustorum qui fert monumenta librorũ,
Quos sese Italicis nactum memorabat in oris?
Nostrum an ad exemplum tibi moribus esse uidetur?
An magis è Latio se fingere? qua studiorum
Fama tu censes? anne egregia ueluti nos?
Nam bene de nostris sermonem rebus habere
Nouit, si quid ego scio uera notare, disertus.
Nobiscum te igitur confido fuisse libenter.
Non quod amatoris tibi frustrata usq; adeo spes
Et noua fiebat quæ fabula prisca, placeret:
Sed quod quem audieras laudari, noscere uelles.
Scilicet est alpes aliquid transisse niuosas,
Perq; Apenini quondam penetrasse cauernas,
Aut mare per salsum perreptasse extera regna.
Hoc uenit & uirtus & gloria nomine. Quam nos
Infausti Dij producti in luminis auras
Hesse sumus fato? quibus unica flumina Mæni
Atq; Geræ, & Pegnesi, Norica qui rigat arua
Degustare dedit, Magnis fortuna negatis.
Nam quod Sarmatici regni per stagna natasti
Te quoq; credo piget madidum, sine re sine fama.
Me tamen haud nimium uita huius pœnitet Hesse,
Forte quia alterius potior non contigit usus.

*Vt uulpes, cuius caudam praeciderat arcu
Falx herba latitans, narratur callida quondam
Integris truncare suas suasisse, quod essent
Pondus iners et inutile. Nos quoq; quando maligna
Sic uoluit fortuna genus leue degere uitae,
Grandia dicendo non esse sequenda probamus.
Et tamen hac uere nisi fallor parte beati
Hesse sumus, quod nec quod habemus habere dolemus
Nec quod abest auidi petimus sine fine modoq;*

Norimbergae Cal. Febr. Anno 1529.

IOANNI SEILERO VIRO
opti. Ioachim.

*SI potes in paruis cum multis aedibus esse,
Optime, req; ipsa nobis bene cognite, cuiq;
Nos sumus in dubijs perspecti rebus, amico
Seilere, hoc ad nos uenias fac luce suprema,
Cum sol occiduas fuerit prope lapsus in undas,
Nec multum ad noctem super umbra plus erit una.
Ille etiam astrorum promisit in arte peritus,
Qui docet Phoebi cursus lunaeq; meatus,
Et quo sint positu per uastum sidera coelum,
Exortu quorum pluuiae uentiq; cientur,
Aera purgatum quae reddant nube serenum.
Ille docet fatis hominum consistere uitam.
Quaeue sit egresso in lucem bona stella nocensue:*

Quæ ridet noster stridenti Mica cachinno.
Præterea ueniet scribarum gloria Hopellus,
Doctus auellanas nucibus deducere braccas.
Et ueniet Cynici laudator Mica pudoris.
Qui non ut librum Roffensis pellegat unum,
Adduci poterit tunicaq; togaq; nouella.
Sed iam conuiuas qua inuitem lege requiris?
Acria Renano de littore uina bibetis.
Ni melius tecum attuleris. Namq; haud mea condit
Multorum generum laudatos cella liquores.
Fercula carnis erunt donatæ prima ferinæ.
Proxima, perdices simili mercede paratas
Obijcientq; gulæ, uentrem anguinaq; replebunt.
Atq; aliqua hæc inter risus fabella mouebit,
Tristitiamq; hilari cunctam de corde fugabit.
Nam sicyæ hesternæ nobis suxere cruorem
Mœstificum, qui me prope tum demiserat orco,
Afflictum capitis morbo atq; graui pituita.
Cænatis ueniet nobis etiam super Hessus,
Ille nouenarum, laus, gloria, fama sororum.
A nostra abducunt quem certa negotia cæna.
Impertire uolo tamen & tibi seria, nanq;
Accersitus eo iam rus, ubi Nucelius nunc
Se reficit, curasq; urbanas decoquit omnes,
Ac urbis reparat se ad publica munera nostræ.
Hæc siccis tamen ante dapes & pocula agentur.
Nam placet hanc totam securum degere noctem,

Non

Non latium miserantes, non Hierona timentes.
Quare age mensa uocat nisi te magis uncta uenito.
Norunbergæ Id. Martij 1519.

Eidem Ioach.

IAm sol octipedis peragrato sidere Cancri,
Pergit ad Herculei feruentia terga Leonis
Falcigeraq; manu spoliatus floribus aret
Campus, & aeria pallescunt arbore frondes,
Nec uelut ante suum deflet Philomela pudorem;
Et uolucres etiam fugientia lumina Phœbi
Percellunt, totis se uiribus exerit æstus,
Corpora desiccans, aciem ingenijq; retundens.
Scilicet hæc inter nos tristi pectore nulla
Læticia curas animi sedante fruemur?
Est mihi sæpe tuæ sapientia cognita mentis,
Rem iuuat ergo istam Scilere exquirere tecum.
Et uersare stilo ueterum monumenta Sophorum
Gaudia qui fugienda bonis dicuntúe negantúe.
Et iam porticibus procedit plurima turba,
Virtutemq; suam memorat durosq; labores;
Et planum in summo uictis iter esse salebris.
Laudat & Alcidæ clauam, & patientis Vlyßis.
Errores. Quæ mi Deus oro auertere fœlix
Dignetur. Quis enim demens sibi damna malumq;
Sponte sua accersat, Velut excusa ipse sibi crus

Compede

Compede si religet. nisi erant non damna malumq́;
Ditis obire domos uiuos, iugulareq́; natos
Illum, hunc insidias soboli uxoriq́; struentes,
Et nusquam tutos consistere, cuncta timere.
Non igitur uirtus nisi carnificina putanda est?
Quanto Epicure tuis (neq; si quod numina ledit
Dogma probo diuina tuum, neq; cætera laudo
Quæ ueram perhibent rationem euertere) sed tu
Quanto Epicure tuis melius requiescis in hortis,
Et merori fugam monstras excellere uitam.
Quæ mala nulla sequi, sed nec trepidare futuris,
Nec præsentia ferre, uelit, firmo male corde.
Inclamas uitia, & celebras uirtutis honorem.
Suauia commendas, non ut meliora professus
Sardanapalei laudes epigramma sepulcri,
Es, bibe, sectator Veneremq;, nam cætera bustum
Includit. Miser est qui sic rem sentit habere.
At te delectat moderata & sana uoluptas,
Quæ neq; delicijs animum eneruet, neq; prauis
Instituat pectus documentis, quæq; ab obeso
Ventre uetet sensus subtiles gignier. Ergo
Hac mihi plus Zenone places parte. Haud ego honesti
Fines excessisse probo, est & honesta uoluptas.
Ne longum faciam, cuius tibi talia causa
Scribere sim aggressus nunc accipe. Candida turba
Concordes animæ, delecta caterua, sodales
Constituere animos fessos reparare labori.

Dulci

Dulci colloquio, & conuiuia læta agitare.
Cum pare quisq; sua. Si quæris nomina, dicam.
Primus es Aonidum qui sceptra tenes Eobane,
Gloria Apollinei gregis & tutela Eobane.
Hunc consulte Myli comitabere iuris & æqui.
Et tuus hos ueniens Mica inter utrosq; latebit,
Vxores uxore sed exuperante utriusq;.
Ecce suas noster iam cartas ponit Hopellus,
Festinatq; prius quàm fumet adesse culina.
His ego te studeo Seilere adiungere. Solum
Méne uocas, inquis? Sane decimus, licet assis,
Dum modo nos facias certos amplus locus est in
Hortis Pegnesi ad uicinas mœnibus undas.
Symbola quemq; manent sua. Sed tu quem tamen esse
Nobiscum optabis nostris sit moribus aptus,
Vobis me socium adiungam, quondamq; sororis
Defunctæ inuitabo uirum nostræ. atq; utinam ne
Coniuge in hac turba parili spectare carentem
Cogerer, & te utinam. Sed adhuc mihi uota supersunt
Nescio quæ, sed sunt quædam tamen, hunc quib. & te
Destino connubijs. Illum non absq; dolore
Germanæ amissæ, te lætius. Hæc ego magno
Nunc committo Deo. Tu prima, si uacat, hora
Nos hodie expectato domi, ut tecum omnia præsens
Constituam tempusq; diemq;. Hæc grata uoluptas
Demum est, unanimes inter quæ constat amicos.

Norimbergæ XI. CL. VIL.

Eidem

EIDEM IOACH.

AD rem seruandam iubeo saluere paratum,
Ad rem perdendam non æquo numine natus.
Hoc modo non similes, fratres ad cætera mente
Ingenioq; pari. quibus unà, si qua probantur,
Vnà, si qua minus, trutina expenduntur utrisq;.
Tu laudas si quis Catus auxit fœnore nummos,
Extruxitq; suis cistis solidi æris aceruos,
Aurum & ferratis cui fuluum splendet in arcis.
Ac te compactum, sic, ut si copia detur
Tollendi, nequeas, nisi fixum cuspide carpas,
Vnum de tanta summa tibi præhendere nummum.
Me iuuat in tenuis pallere uolumine libri,
Atq; oculos priscis obtusos perdere cartis.
Seu lego Mœonidæ Laertia carmina uatis,
Aut diuum Iliacis rixas & prælia campis,
Seu per Socraticos lentus circumuagor agros
Et præcepta bonæ studeo cognoscere uitæ.
Iamq; ubi Sol rutilos subduxit gentibus ignes,
Membra leuem capiant quàm delassata quietem,
Fabula nos mores hominum docet ante latina.
Mane quoq; exortam ante sopor non uertere lucem
Consueuit. ualeat pallentis cura metalli.
Quis uideor? nonne optata mage sorte beatus
Quàm qui mercatus omnes percurrit, & audet
Propter diuitias animam exposuisse periclis,
Dumq; iter Hercinia facit ardua per iuga syluæ

Arboreos stupet ad truncos, & murmura frondis,
Et tremit ad fißi conspecta cacumina ligni.
Aut qui despoliat Germanas mercibus oras
Improbus externis, frumentaq́; subuehit hosti
Cæsareo. ò peream, quàm talia crimina nostram
Contemerent famam, satis est ueterum ante malorum
Sed mihi dum pistor male credit, dum male caupo,
Illis præsentes dispensant omnia nummi.
At mihi nec fraudis nec mens sibi conscia læsæ
In somnis fidei mittit phantasmata, nec mi
Sollicitudinibus languescit uita diurnis.
Assa mihi in parua patina sine ponit oliua
Coniunx, & carnes ouium seu forte bouillas.
Non condit calamo, neq; limphata usq; petitis
Miscet ab extremis mihi iura saporibus Indis,
Sed nos hæc inter non ringit cura peculij,
Artibus infandis meditantes publica damna.
Quid faciam? maior capit haud fortuna minorem.
At poteras, inquis, ciuiles discere caussas,
Et calcare forum transuersis greßibus, inter
Iudicia, & pullæ caueata sedilia turbæ.
Carmine, tu cæci, uatis nunquam facies rem.
Consilium agnosco, uerum mala nomina Iuris
Formido procerum, penitus metuenda sonantum.
Vt taceam laceras leges & dimidiata
Scripta insinceri uario cum codice Iuris.
Et quod, ut antiquus queritur grandi Ennius ore,

Non

Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt, regnumq; petunt, uadunt solida ui.
Quid quod ad audaces citius uictoria migrat
Quàm doctos? Nullus nunc est cum fronte disertus.
Testis Falcidius, testis Gela, testis Alauda,
Ac acies rubeo semper Mucronia uultu.
Sed, nam correctos ultra alpes nactus adesse
Narratur libros, & linquere Cæsar Iberos
Dicitur, ut terras componat iure paternas,
Forte tuis monitis accedet nostra uoluntas.
Interea neq; qui recte in lare paupere degam
Negligo, libra tuis cui nummis bina redempta
Nuper ab affine est. bonus esse uolo atq; fidelis,
Et tibi qua posces omni ratione caueri,
Quandoquidem noster tandem est iam scriba reuersus.
Crede mihi uideo quantum sit habere necesse
In sumtus, olerum, panis, salis. Ecce farinam
Vxor nascenti puero cum lacte requirit,
Et coctus bibitur plus uno gutture Bachus,
Iamq; domus cura nobis est aucta leuata,
Venit enim germana soror pedibus prope claudis
Dum fugit irati sine caussa, iussa Hieronis.
Omnia sed sorti facilis permitto secundæ,
Quod fieri amissa tantum non Cancer ait Re.
Præterea dedimus quædam mandata ministro,
Quod petet hic, facies, ut cætera, corde lubente.

Norimbergæ, Anno 1529.

IOANNI MYLIO IVRIS consulto. Ioach.

SEctator lautæ Iurisconsulte culinæ,
Nulla Myli si te conditior esca moratur,
Saltem hodie paruo lare mecum & paupere mensa
Vtere contentus, nam nummo ditior uno
Caussa nemo tua fiet piscator & auceps.
Mappa uile tegent acer albæ, pocula limphis
Munda feret, calices uitreos phialamq; paternam,
Tum patinas orbesq; dabit de iure relotos
Hesterno, leue & ponet cum pane salillum
Candidulo, uitæ coniunx aptißima nostræ.
Ipsa penus solitisq; cibis nos pascet, & undæ
Funderis Bache impatiens. Sed libera fandi
Copia de nostris, & erit locus, omnia rebus
Dicere, quæ dicenda aliquis sibi cumq; putarit.
Nec quisquam quæ forte uolet, tunc ore loquetur
Astricto, neq; erit magnos sermone necesse
Ad struices linguam tibi composuisse proteruam.
Hoc etiam inde boni capies, onerabere nulla
Immodica uariaq; dape. Et si nausea crudum
Forte tenet, medica te nostra ope mensa iuuabit.
Sed fac mox uenias, quartam æs nam nunciat horam
Publicum, & indicit ciuilibus ocia rixis.
Nec mihi, quòd me ad cænam posse uenire negaui,
(Nam famulus tuus hæc scribentem inuitat, & addit

Ipse

Ipse fui, ut credo, studij quiddam) esse uelim te
Iratum nobis, neq; enim temere esse putabis
Quod tibi, difficilisq; negem quod tale petenti.
Sed mihi, si uenies, ignosces ipse, nec ultra
Ad tua de nostris duces conuiuia rebus.
Vtq; adeo coram possis rem noscere totam,
Iudicioq; tuo præsens decidere litem,
Optime uir simul & Iurisconsulte uenito.

Norimbergæ Anno, 1519.

IOANNI MYLIO IOACH.

VT ueniam ad tua care Myli uis prandia, utrinq;
Hoc facile est. Etenim satur & distentus hebesq;
Hesternis ueniam dapibus cœnaq; Rubellij,
Collucebat ubi structo angulus omnis ab auro,
Et patina ex albo splendebat ducta metallo,
Ordinibusq; epulas famulus bis quinq; ferebat.
Non ibi iure aberat perfusa ferina nigello,
Non aberant Istri pisces fugientis alumni.
Sanguineos cancros argentea uasa tegebant.
Gnauorum memorem quid condimenta cocorum?
Quid? quot non generum scio, delectissima uina,
Quod rapidũ ad Renum liquidũ quod Neccara creuit,
Rupibus Heluetijsq; & duri Franconis aruis.
Verum hæc conuiuæ superabant omnia læti,
Faleidiusq; Midasq; & Publius, atq; Sacranus,

Caluus'q; Albinus'q; & Symphorianus & Aulus.
Attila, uulturius, Catulus, Mucronius, Vrsus.
Innumeriq; alij, quos uix potuere tabellæ
Tres iunctæ accipere, & non possent, ni Catulus se
Transuersum inferret, gremio'q; sedere Sacranum
Pœne suo impositum, carum pateretur amicum.
Et iam cum scurris fidicen ueniebat, at illos
Non admiserunt clamores, quos puto uinum
Largiter epotum crebros exciuerat udis.
Nunc age Musa tuo mea pectora numine comple,
Plane ut ibi auditos sermones promere poßim.
Principio laudes equitum Sacranus & Aulus
Et Caluus cum Vulturio pleno ore canebant.
Publius hos socius'q; Midas culpabat, & esse
Prædonum turmas dicebat, quis neq; iustam
Militiam neq; bella sequi mos segnibus esset,
Sed mercatorum tantum decerpere saccos.
Flagitijs clarum maculent qui nomen auorum.
At sunt præsidium, nam quis negat? omnibus isti
Principibus, quibus absq; foret iam nemo teneret
Pacatum regnum: Sed quod castigat equestris
Ordo suis homines fraudantem mercibus orbem,
Haud repræhendo, Albinus ait, quis quæso superbos
Electos'q; animis ferat? Institor ille igitur me
Vanus despiciat? quia Publius inquit in eodem
Antro habitas, & grata quoq; est tibi portio prædæ.
Cui Caluus, nimirum hoc est nos dicere uulpes.

Publius

Publius arridens, nisi mauis esse Lupum te,
Esto inquit uulpes. Sed uena in flata Sacrano
Cerula per rubrum ducebat retia uultum.
Forsan & in rixas studio certaminis ijssent,
Falcidius, litera nisi decidisset, & inter
Se medium ponens legem sanxisset, ut omne
Diluere iratum dictum calices duo possent.
Iamne tuas leges ait, auscultabimus, Aulus.
Falcidius spectans sulcato hunc ore, quid inquit,
Quaeso affers sacro Musarum ex agmine nobis?
Nunc adeo Aonij ueniens de uertice montis.
Quid? nisi quod monuit me scilicet una sororum,
Falcidia ut nunquam paterer me lege teneri,
Et fugerem inflatas fauces oculosq; suillos.
Hunc insultantem cunctisue feremus inertem?
Falcidius clamabat. at Aulus pax ait esto.
Coenae sacra inter, quem laudans protinus Vrsus.
Insignem pateram gemmis auroq; propinat.
Iamq; epulae & tenues sublatae marmora mappae
Nudabant, quae Vindelicis mittuntur ab oris
In tabulas quadris inciduntur q; figuris:
Cum fert succinctus leuia ilia, uina minister,
Stantibus èq; manu protendit pocula utraq;,
Laeua gerebat enim rubrum, album dextra liquorem.
Dumq; bibunt Albinus & Attila, Symphorianum
Nescio qui, praese latum Mucronius aegre
Dum patitur fieriq; dolet sua stemmata parui,

Non ualedicto abijt festinans hospite primus.
Iamq; nigrescebant submerso Sole plateæ,
Omnis quisq; suas ædes cum turba secuta est.
Norimbergæ Anno Christi 1530.

IOANNI MYLIO IVRIS consulto. Ioach.

IRasci nolim tibi nec poßim. male sed me
Iuris habet consulte Myli, quòd cætera doctus
Virq; bonus, ueras artes contemnere, quàm sit
Infandum scelus ignoras, nisi forte uideri
Contemtor cupis, & nobis imponere quæris.
Sed mihi iam dices, ueras contemnere ne artes
Sustineam illarum professor? tu mihi nugas
Artis componis uestitu & nomine ueræ.
Non mihi, crede Myli imponis, sed falleris ipse.
Nam non diuinis maior sapientia Musis
Vlla fuit, non ulla prior sapientia fiet.
Te tamen & sacros ego quondam hausisse liquores
Accipio, & iuga Parnaßi tentasse. Quid ergo
Esse mali dicam?. Quod enim superare potestas
Non data sit fatis succenses? Esse uirum te
Non tali leuitate Myli cognouimus. Ergo
Erras. Nec tu errare Myli cum sis homo supra
Turpe modum natus ducas, erratur ubiq;,
Sed tolerabiliter ratione ubi uincitur error.

Tu ne putas, uulgi fert sicut opinio, uana
Sacra uoluptatis diuorum carmina uatum
Materiam esse, nihilq; nisi quòd uoce titillet
Blanda animos hominũ faciles comprahendere Musas?
Haud ut credo putas uir talis. siue tamen tu
Sic statuis, seu commemoras quid turba loquatur
Expers doctrinæ & studiorum inimica bonorum.
Quid ratio tamen euincat uideamus uterq;
Toto & perspectum teneamus pectore, nobis
Haud populo hæc, quoniam non uult audire, canentes,
Ergo quid est? nunquid nihili & res parua Poeta,
Aut nihil utilitatis habet memorabile carmen?
Esse aliter uix eximio persuasero Crœso,
Cui prior est Phœbo Musis prior alea uictrix,
Sed ratio diuersa mea est, credo & tua, sed sic
Nunc ago tanquam habeat te scilicet ille patronum.
Si non est igitur studium componere uersus
Præclarum, quid ego hos paruos memorare Poetas
Sustineam? nihil est diuini carmen Homeri,
Atq; opere in tanto ille operam uir perdidit omnem?
At uetus hunc habuit Spartæ qui legibus urbem
Et uirtutifero fundauit iure, magistrum.
Quid spectamus adhuc facilis temeraria uulgi
Iudicia, arbitrioq; animos componimus huius?
Nam quando doctrinæ aut artibus illud amicum
Quando fuit cordi huic uitæ cultura seueræ?
Et tamen est, inquis, prudentia, seq; suosq;.

Respicere, ætatisq; suæ communibus uti
Moribus ac studijs, & inutile linquere nomen,
Ingenij, Musisq; operatas spernere cartas,
Atq; ea quæ uel nemo colit uel percipit alter,
Non aliquem exercere sine fructu & sine laude.
Immò aliquis restat Musis non prorsus iniquus
Quiq; amet ingenuas simul ac intelligat artes,
Et non Aonio consedit cespite nemo,
Gorgoneo aut fusos gustauit fonte liquores:
Hos igitur par est motam decidere litem.
Horribilis quondam fertur sibi cauda Draconis
Primas, & ius ducendi petijsse uicißim,
Tempore nam longo se se caput esse secutam.
Quod postquam obtinuit, sic tum præceßit, ut omne
Corpus per uepres, dumos, spineta, salebras
Afflictum raperetur, & ipsa offenderet unà
Pars cæca & uecors. Sic si uulgare iubes me
Iudicium ante sequi cedens, male præcipis, & me
Seducis, consulte Myli carißime Iuris,
Non modo ciuilis quo controuersia sæpe
Finitur ciues inter, sed copula ueræ
Per quod amicitiæ iucundi iungitur usus.
Sed neq; tu præcepta Myli das talia, nec me
Decipis, ac potius quæris cognoscere nostram
Hac de re rationem, atq; hanc augere benigne
Suffragante tuo studio mihi. Sed licet ut mox
Hac de re coram, de alijs uelut ante, loquamur.

Petro

IOACH. CAMERARII.

PETRO PABEPERGENSI, amico S.

Cum tua de nobis Petre tam præclara uoluntas
Iudicij, celebret nostrum per carmina nomen.
Meq́; Melanchthoniæ dignetur iungere laudi:
Sim prauus, si non, ut non agnoscere poßim,
Pro meritis studeam gratusq́; bonusq́; uideri.
Non sapiens ego sum, neq; de Zenonis alumnis,
Vt non uel falsis delecter laudibus, idem
Terrear infamante, nihil mihi conscius, ore.
Nunc ad te redeo, cuius me scripta Poetam
Pœne iterum fecerunt post longa ocia. Meq́;
Sopitas excire nouem iussere sorores,
Quæ mihi deserta iamdudum in parte iacebant
Nam mihi nec studiosos postremo inter, opinor,
Nec contemnendo penitus, tamen experienti
Vires, displicui ipse, quia ut ne nomina dicam
Virgilijq́;, Albijq́;, Lyramq́; tenentis Horatij,
Non facerem uersus nostri similes Eobani
Versibus. Vtq; magis uerum tamen hic tibi dicam,
Quòd spretæ obscura Musæ sub nocte iacerent,
Scribere tædebat sine laude & carmina fructu,
Spernere quæ possent mediocres, carpere docti.
Inter eum tamen ista uagabundus ferè & errans
Aufidia incerto pede littora lentus obijssem,
Mintiadosq́; usurpassem mihi arundinis usum,

Tentassem & Nasonis opus prisciq; Catulli,
Omnia non cum re magna peragens sed amore,
Antiquæ uirtutis & istorum studiorum.
Ne faciens nihil hoc aliquid facerem. Hoc aliquid si est
Sed recte ostendis non nos debere moueri
Iniusta uulgi censura, ipsamq; tuentes
Virtutis speciem stultam contemnere plebem.
Deq; bonis bene sperare, atq; ita pectore firmo
Vrgere Aonidum studia, optatissima rerum.
Sæpe ego, crede mihi, cepi, sum sæpe repulsus
Diuerso mentis motu, ceu fluctibus. Illuc
Huc agitur uento sæpe aduersante carina.
Sed, puto, constituis iam cum sine nomine uelle
Viuere decreui, uanis nec honoribus auctus
Re sine, contentus modico, non notus, egenus.
Vt neq; me multi esse sciant natum, ut quoq; fato
Defunctus fallam reliquos, me defleat una
Sicut nunc uno me turba domestica gaudet.
Longum erat huc contendentem mihi crede uenire,
Magnus & ut sit ibi sedes quoq; firma labos est.
Nunc igitur, quòd me soletur, cuncta uidentem
Vexari rabie, misceri sacra profanis
Iura nihil legesq; ualere, fidem esse sepultam,
Vi peragi res iniusta omnes, bella uigere,
Aut in Aristocleas me totum implico cartas,
Aut quo perpetuam meruisti carmine famam,
Cæca lego erroresq; tuos & prælia uates.

Hæc longa irati stomachus quæ fecit Achillis,
Illos bis decimo anno quos finiuit Vlysses.
Deinde horum admiratores adiungo Latinos,
Arpini decus & famam, Musamq; Maronis.
Quos ego suspiciens merito uirtutis utrosq;,
Tanquam ad lusciniæ concentus rana coaxans,
Te quoq; nunc; ut nemo legat reprobetúe, monente
Germanos latio pennas agitauero ductu,
Atq; modis aliquod scriptum perarauero Graijs.
Namq; tuum mihi pro monitis studium esse putabo.
Atq; ita qui humanis iactant in rebus, opesúe
Viresúe aut titulos, regno imperijsq; potentes,
Aequi, quòd mihi sors dederit nil tale, boniq;
Despiciam faciens. Me iudice Petre beatus.
Norimbergæ Idus Aprilis, Anno 1530.

IOACHIM. CAMER. DANIElo Stibaro S.

Hanc è Vindelico mitto tibi rure salutem,
O animæ maior pars Daniele meæ.
Quid dubitans cartam uertis nomenq; requiris,
Debuit autorem significare manus.
Miraris tamen hæc, quòd de tot milibus à me.
Littera pierijs uenerit unà modis,
Desine mirari, requies mihi sola petita est,
Quid facerem melius puluerulentus eques?

Sæpe

Saepe etiam raucus religatus compede fossor,
 Cantat arenosae per loca Sarmatiae.
Nec quia lusciniae nihil est uocalius ore,
 Non gemit aërijs turtur ab arboribus.
Ipse ego quantumuis agresti carmine sensi
 Tadia longa meae facta minora uiae.
Haec Heliconiades praebent solatia diuae,
 Suntq; domi fidae sunt sociaeq; foris.
Nostra igitur languorifero dum membra calore
 Desuper igne micans urit Apollo suo,
Calce excitus equi puluis simul obruit infra,
 Pistrini tenui polline sparsa putes:
Ipse neq; ignotum penitus, penitus neq; uotum,
 Exequor huc illuc incomitatus iter:
Consolorq; uiae errores aestumq; diei,
 Qua ratione mihi fit, uia longa, breuis.
Consolor studij repetens consortia nostri,
 Quiq; est, quiq; fuit, semper & usus erit.
Nam prius a uestra spacioso flumine Maenus
 Montis in Abiegni refluet urbe, caput,
Illeq; iam uertex unde Egra, Nabis, Sala, Maenus,
 Manat Iache tuis frondibus auctus erit:
Mutua quam nobis ueniant obliuia nostri,
 Aut aliquid sanctam laedat amicitiam.
Haec meditans numerisq; includens carmina pango,
 Carmina disparibus qualiacumq; modis.

Saepeq;

Sæpeq; quam sensi studia inter talia nobis.
Pars prius est longæ magna peracta uiæ.
Atq; ego nunc residens Augusta lentus in urbe,
Imperij dubias res ubi Cæsar agit,
Sicut eram commentatus descripta repente,
Marcello tibi qui mitteret ista dedi.
Marcello quo non uno studiosior alter,
Tota mente mei est, est Daniele tui.
Ille etiam te mox nobiscum hic affore narrat,
Hunc ferat optatum Memnonis orta diem.
Interea fueris Daniele ubicunq; ualeto,
Vtq; tui est mihi, sit sic tibi cura mei.
Augustæ Vindel. Idus VII. *Anno,* 1530.

THOMAE VENATORIO
IOACH.

SAepe mihi multis iucundus cognite Thoma
Rebus, amicitiæ perspectus Iure fidelis:
Si quid agam quæris, sicut puto quærere, scito
Esse loco nostras in eo res, ut tolerari
Posse putem, indignas lacrimis durisq; querelis.
Interdum (nam quæ caret omni uita labore
Diuinam mereat famam) neq; tristia desunt
Siue recens tanquam hospitij nos cura fatigat,
Seu multa accisam sumtu quibus indiget usus
Rem minuunt, seu nota diu & consueta retardant
Incurata pedis mala, sollicitiq; labores.

In summa tum est nil cur me conditionis,
Consilij pigeat certi cæptæ ratione,
Quàmuis nec res ut uellemus publica prorsus
Procedat, quædamq; bonum fortuna retardet
Successum nostri studij fructumq; laboris.
At spes non fragili fulcit tibicine mentem
Et meliora iubet nos expectare futura.
Quàm non mox iacto surgant de semine fruges,
Herbaq; à cuminibus quòd pinguibus emicet agris
Ante uides Cereris quàm donis area pregnet.
Illa etiam quæ sunt præcocia germina, quædam
Sese arte in lucem subito proferre coacta,
Vt quondam memorat quos Græcus, Adonidos horti,
Tam facile intereunt quàm sunt producta repente.
Illi etiam fœtus subitus quos edidit ortus,
Aut nullam aut ducunt infirmo corpore uitam.
At contra illa seges octauo prodita mense
Matura uotis respondet fruge coloni;
Atq; Elephas decimo tantus uix gignitur anno.
His ego, si qua, uelut fit, non satis expediuntur,
Consolorq; moram, ac animum confirmo labantem.
Sed mihi cur, qui uos certe non sponte reliqui,
Et non sum temere Sueuos delatus in agros
Diuinum inprimis nutum arbitriumq; secutus;
Cur mihi præcipue sit curæ res in utrunq;
Euentum? quin quod tulerit diuina uoluntas
Nos animo, quod & ille dabit, præsente feramus,

Nostra

Nostra opera est nosterq; labor, fortuna utriusq;
Hinc ueniet totis ueniunt unde omnia terris.
Sed teneat nostra hunc tandem sapientia finem.
Ne uidear Thoma mihi te discenda docere,
Atq; tuas tibi uelle scolas exponere. quanquam
Quid scrbam? nisi quòd res subijcit. At tua fœlix
Perpetua urbs rerum quales nouitate uolenti
Scribere materias tibi dictatura uidetur?
Vel nunc quos ludos dederit magna, Itala pubes
Conducta, ut fertur, mercede. quid illius ergô
Vicini instructum pompæ sit, quando remota
Africa, Cæsareiq; silet modo fama triumphi.
Hæc tamen aut alij scribent, aut te mihi Thoma
Scribere nil refert, consuetas postulo cartas,
De nostris studijs, consensu, rebus, amicis.
De quibus ire frequens huc debet Epistola. Tuq;
Quo pluris facis, hoc cupide magis illa capesses.

Tubingæ, Anno 1535.

GILIELMO BIGOTIO
Gallo Ioach.

CVm tibi desertas placeat, doctißime, quondam
Maioris cura studij potiore camenas
Bigoti ablato, poscente, reuisere, sic re,
Me quoq; amor numeris habet ad te scribere iunctis,
His leuibus numeris, quorum est sermonis imago.

Nam neq; mens alijs subtilibus est satis, & nunc
De uitio extremo quæ sunt etiam intima languent.
Si tibi tantisper cultor uetus ille Lycei
Indulget, neq; te sensus auertere paulum
A se, nec certo prohibet decedere tractu,
Accipe quæ in mentem ueniunt hoc tempore nobis.
Non Neoclideo ratio sermone probatur
Declarata mihi, qua uirtutem ille in amœnos
Hortos, & præcepta bonæ omnia contulit artis
In dubium & sensus quos sæpe leuißima fallunt,
Sustulit & directam animo rationis amußim.
Sed mihi & aduersis in rebus uita beata
Inq; dolorifico tactu remanere uidetur,
Et præcepta bonas concludere sentio certo
Iudicij tanquam præscripto limitis, artes.
Regula nec mihi naturæ sit opinio rerum.
Idem ego credo tamen iucundum suauiter usum
Carpendum uitæ, & breuis huius temporis æui
Quàm minime spacium, quasi rugis esse seuerum
Cogendum ad rugidum ductis tristemq; tenorem.
Et similem intento naturæ cognitioni
Concedo, ac ueri uestigia rara sequenti
Libertatem animo, nec se ut non explicet unquam
Quærendi curis, sed plurima præter inertem
Ire probo, patiorq; uagum per aperta priorum
Atq; notata pedum signis incedere crebris
Prata, sub Aonidum liquido uiridantia fonte.

Nec

Nec quaſi ſemotos calles indago uiarum
Per quas ingreßisq; fatigatisq; labore
Ardua uix conſpecta acri eſt ſapientia paucis
Lumine, quàm me hebetem tam craſſa poſſe mineruæ.
Aſſequi ego quia deſperaui, Sic facio nunc
Vt feciſſe olim quædam uulpecula fertur,
Quæ quàm non poſſet ſaltu contingere uitem,
Illius eſſe uuas guſtu clamaret acerbas.
Non tamen hæc animo eſt innata ſuperbia noſtro,
Vt quæ forte mihi bona, ſors aduerſa negauit
Vſibus inconceſſa meis, contemnere tanquam
Ponderis haud ſoleam magni, neq; deeſſe laborem.
Sed magis inq; alijs admiror & illa potitos
Suſpicio magniq; puto doleoq; carere,
Damna ferendo tamen fati conſolor iniqui.
Rebus in humanis ſtabilis perſpectio ueri
Primas iure tenet. Cui totam intendere cordis
Vim cupide ueſtigando curamq; ſagacis,
Diuinum eſt opus & uulgi de fece remotum.
Sed paucis, quorum uigor & celeſtibus alæ
Spiritibus motæ mentem euexere ſub ipſas
Aetheris in puro radiantes lumine ſedes,
Hæc data fortunæ fœlicis copia, ſeſe
Tollere humo atq; poli petere ardua templa uolatu,
Multa animæ ui pennigero latæ impete ſurſum,
Nec magis incluſæ quaſi carcere corporis. At me
Lux offuſa micans oculis tam clara fatigat.

Ergo peto gelidos lucos, & anhela sub umbra
Antra sequor, frondes subterq́; supinus opacas,
Nil sublime animo spectans requiesco, nec ipsas
Nunquam uoce cio genitas Ioue patre sorores,
Dicite quæ iuga Parnaßi uicina tenetis
Rupis Apollineæ, quæ lautæ Aganippidos unda
Ducitis Aoniæ per florida prata choreas,
Quo maneat cultu in terris me uita beata?
Sic ego, de numero sic reddidit una noueno.
Viue tua, ò bone, contentus re. Nec tibi lædat
Alterius fortuna oculos. Nec si tibi præstat
Robore carniuorum immanis natura ferarum,
Nec si quo uolucres poteris pertingere nunquam,
Idcirco te hominem natum patiare molestè.
Inuidia careat, proprijs mens, qualiacumq;
Sint ea, læta bonis. fac & illustrem magis ut te
Reddat quàm premat alterius spectabilis usu
Splendor amicitiæ, quam suscitet illius à te
Aßiduo simplex grata obseruatio cultu.
Hæc Erato siue Vraniæ. Quæ, quippe probantur
Bigoti mihi, si poßim præstare laboro.
Atq; ita te similesq́; tui mihi iungere conor
Officio quocunq; licet, quòd pro tenui re
Tale quidem ut pudeat nos illius, esse fatemur.
Sed tibi si nostra est, ut spero, nota uoluntas,
Aut reuerentis erit te pectoris, aut ego fallor,
A nobis acceptus honor tibi. Sed neq; fallor,

Nec

Nec meriti studium tibi non arridet amoris
Doctrina eximia meriti. Sed si placet haec ut
Pluribus inter nos agitetur mentio uerbis,
Crastina quo iuga demere equis properabit Apollo,
Ad nostram uenias Bigoti tempore coenam.
Siue alijs tibi sermonem de rebus habere
Gratius est de istis placitumq; tacere futurum,
Seu quodcunq; loqui libet ac facere, ut tamen aßis,
Nostro à te dabitur studioq; pedisq; dolori.
Ne tamen hoc tibi non praedictum forte queraris,
Ad mensam tu me iuxta accumbente sedebis,
Iamq; uale, & te siste nobis qua diximus hora.
Tubingae bruma, Anni 1538.

IOACHIM. CAMER. BARTOlomaeo Amantio Iurisconsulto.

Venimus, id uotis quòd Amanti saepe petisti,
Pectoris haec cupidi mentio semper erat.
Venimus huc uestram quo tendebamus ad urbem,
Vector & emeritis iam iuga demit equis,
Hoc ut rescires è nostris primus amicis,
Certior Aonio redderis indicio.
Nam neq; te studio monstrandi, si qua requiram,
Nec quisquam officium uincet amore tuum.
Quaeris uti ualeam? nam non minus, ac pariter, uel
Nostra tibi magis est quàm mihi cara salus.

Omnia ab unius iam nunc quoq; membra dolore
Et uitio languent debilitata, pedis.
Nec tibi si cupiam plane perscribere poßim,
Quam bene sim firmo corpore, quàm ue male.
Me desiderium tamen excellentis amici,
Cuius Appollineum nomina nomen habent,
Cuius & indocto posuit sapientia sedem,
Inq; artes habitat corde iuuante bonas,
Cuius honestatis succensa cupidine flagrant,
Candida sincera pectora plena fide:
Illius ergo facit amor me posse ualere,
Neue esset fuerat qui dolor ante dolor.
An nos Gryneum pateremur, abire parantem,
A nobis nostra languiditate, rapi?
Non ita quantumuis natura factus iniqua,
Pectus in afflicto corpore molle gero.
Hunc ego cum tantum conuenero lætus amicum,
Quod tulit, hinc rursum digrediemur iter.
Vel si, quo nil sit mihi tristius, ille receßit,
Id quoq;, sed mœsti, regrediemur iter.
Ad nos interea properes accedere Amanti,
Consequar ut studio quæ uolo cumq; tuo.
Paulis perq; tuæ posito uirtutis honore,
Officij socia fungere parte tui.
Cumq; fori & rixis suspenderis apta creandis,
Legis amicitiæ dulcia Iura coles.

Quod

Quod supereſt cũ nos iam pranſum conuocet hoſpes
Ne ſit opus uerbis pluribus, ipſe ueni.
Ipſe ueni, ut dape nobiſcum ueſcare parata,
Colloquio feſſos exhilaresq; tuo.
Gratius hoc fuerit, quàm ſi quæ Neccar & iſta
Munera dant ueſtri ditia rura ſoli,
Apponat menſis ad quem diuertimus hoſpes,
Sed tu, namq; ambos his moror, ipſe ueni,
Tubingæ IIII. Cal. VLis. Anno 1535.

IOACH. CAMER. BARTO-
lomæo Amantio S.

Docte fori & legum ſanciti Iuris Amanti,
Docte magis ſanctæ Iuris amicitiæ.
Si te, quod cupio, morbi mala deſeruerunt,
Maxima ſunt animo gaudia parta meo.
Sed ſi nunc etiam morbus, quod abominor, urget,
Hoc uno poßit triſtius eſſe nihil.
Cum tamen inter heri te nos uidiſſe recordor,
Concio qui fuimus docte Sicharde tua,
Eſſe tibi melius ſpero quàm nuper habebas,
Cum labor è lecto ſurgere tantus erat.
Qua propter niſi me ſpes hæc gratißima fallit,
Omnia letitia triſtia pulſa cadunt.
Nec tibi iam rerum noſtrarum imponere curam,
Nec dubito ſtudium ſollicitare tuum.

Quid uerbis opus est? non magna negotia quæ me
Ad miserum exercent, sunt tibi nota, modum,
Consilij horum utinam tandem decisio uestri,
Partem in nostræ aliquam commoditatis eat.
Hoc ut agas non te rogo, Sed tamen hoc age Amanti,
Vtq; tui ratio sit tibi sitq; mei.
Nil peto quod poßit mihi post concessa negari,
Quo minus est aliquem par superesse metum.
Si tamen obstiterit quicquam, Tu scilicet illud
Reijcies operæ sedulitate tuæ.
Omnibus ut semel expositis planeq; peractis,
Nulla sit addendæ caussa deinde moræ.
Præterea Tulli nobis fac scripta diserti
Mittere, caussarum prodita scripta uelis.
Quæq; in ea Asconi uelut enarrata feruntur,
Tempore in hoc quæ sunt inspicienda mihi.
Inter tot tamq; innumeros tua nam quoq; certe
Continet hos ingens Bibliotheca libros.
At nostros uel adhuc paucos uectura moratur,
Vel nondum certis sarcina rebus habet.

Tubingæ IX. Septembris, Anno 1535.

CASPARI VOLANDO VIRO
doctißimo Scribæ Senatorio,
Tubingæ.

Te

TE studiorum artisq; bonæ doctißime, quantum
Vtriq;, ignotum, est dedecus, esse mihi?
Culpa quidem nostra est, neq; enim licet esse negare,
Sed tamen ex quadam est hæc quoq; parte tua.
Nam me contemtas colere isto tempore diuas,
Et sub Apollinea fronde quiete frui,
Ante & uilia ferre opibus leuis ocia uitæ,
Ignotum poßit scilicet esse tibi?
At tu qui fora quiq; negotia publica curas,
Iudicij & fida colligis acta manu,
Te ne ego si scirem studia hæc quondam coluisse,
Illis nunc etiam posse uacare putem?
An piget, & quibus omnis abest honor, illa uideri
Cordi nuda tibi credo fuisse pudet.
Nam cur dißimules te numen habere benignum?
Cui iuga Cirreo sunt sacra iuncta solo.
Cur ue nouenarum turbæ placuisse sororum?
Edita de summo quæ patre turba Ioue est.
Non hominum, rerum naturas inquinat error,
Quodq; bonum est reddit nemo putando malum.
Nec quia non retur studium esse hoc utile uulgus,
Nos sacra pieridum non coluisse iuuet.
Sic loquor Aonij quasi sit mihi semita collis,
Et sit Castaliæ fons mihi notus aquæ.
Si tamen interdum pro re laudata uoluntas
Et solum in magnis est uoluisse satis:

Diuarum dicar quæ circum Aganippidas undas
 Inq; petra ludunt Delphide, cultor ego.
Nunc uenio ad missos à te doctissime uersus,
 Adq; mihi mirificum qui placuere modum.
Qui numero pauci, multi bonitate probarunt,
 In genere hoc uires ingeniumq; tuum.
Nunc mihi amore tuæ mens consuetudinis ardet.
 Nunc uideor primum te mihi nosse parum.
Atq; ita me cupio tecum coniungere totum,
 Vt poßit iunctis arctius esse nihil.
Hæc studia à teneris semper dileximus annis,
 Sunt mihi qui fatis conciliata putent.
Inq; meo inueniunt signa horum tempore cultus,
 Quòd mea natalis luminis hora notat.
Siue quidem hoc uerum, seu falsum est, sicut opinor,
 Hæc tamen est animo fabula grata meo.
Nil moror aut magno prodire insignis honore
 Inuigilet miseræ diues auaritiæ.
Non opibus non & caussis delector agendis,
 Sitq; frequens alijs, cura lucrosa, cliens.
Seu natura quidem sic est, seu nostra uoluntas,
 Sunt studia hæc animo mollia grata meo.
Sentio & esse mihi Musarum inuenta necesse,
 Musarum cupidos & coluisse uiros.
Quem mihi si tecum bonitas tua iunxerit usum,
 Omnis erit uoti summa peracta mei.

Quod

Quod tibi iura petis transmitti Noridos urbis,
Iudicio nuper Iura probata meo,
Hanc modo fer, dum sit quem mox confido futurum,
Tradita ibi, nobis qui ferat illa, moram.
Nos curæ & fidei nihil obmittemus, ut omni
Nos studio fiat te coluisse, palam.
Carmina nunc tibi quæ possent nouitate placere
Cæsareæ misi carmina laudis opus.
Quæ legisse uoles nisi fallor, sed tamen illa
Atq; hæc scripta precor consule nostra boni:
Nostra quidem studio & calami properante labore,
Pleno scripta animo sollicitudinibus.
Quæ, nisi turbarent optatam multa quietem,
Et sero acciperes & mala sorte minus.
Anno Christi Iesu, 1536.

GILIELMO PHYLLOBRYO.

HAnc tibi Iochimus mitto Gilielme salutem
Hinc ubi uitifero Sueuia monte patet,
Vicinisq; tribus trino de uallibus amne,
Auctior ad Reni flumina Neccar abit.
Arx ubi stat priscæ complectens nomina famæ,
Nobilis in patrio structa Tubinga solo.
Quæ tibi nam uox ignotæ peregrina Camœnæ
Obstrepat insueto carmine forte roges?

Versibus

Versibus & nostro cum primis nomine lecto
Miratus dicas, iste poeta fuit?
Vidi ego qui penna temere ducente minutas
Pingeret in libri margine sæpe manus,
Inq; lito interdum uariaret multa colore,
Nec tamen hic posses dicere pictor erat.
Et nos in cartas nonnunquam carmina uiles
Pierio uacua mente furore damus.
Siue ita fert quædam nulla ratione uoluptas,
Siue quis indoctum poscit amicus opus.
Non nunc cassa quidem nostros ratione uoluptas,
Curarum tenuit mole graues animos,
Sed quod ego nollem facere, & nescire faterer,
Vt facerem noster fecit amicus, opus.
Inter præcipuos qui nobis primus amicos,
Consonum habet sanctæ nomen amicitiæ,
Quo tua magnificæ uirtutis gloria teste,
Templa per ætheriæ iam uolat alta domus,
Ille fori & iuris consultus Amantius, Idem
Ornatus doctum Delphide fronde caput.
Nos igitur summis impulsos uiribus ille
Aegit ad Aoniæ plectra mouenda Lyræ.
Nil ego cui possim quicquam Gilielme negare
Impetrare illum passus & ista fui
Legibus & uersus ad te componere iussus,
Dextera amicitiæ morigerante, dedi.

Non

Non quibus aut celebrare tuum genus aut tua facta,
Aut uellem ingenij candida dona boni,
Stemmata decantent alij uirtutis auitæ,
Decantentq́; tuæ fortia facta manus:
Atq; ornent dotes uerborum mentis honore,
Aeternæ dignas laudis honore uehi,
Vt te Castalidum cultorem postera, & artis
Ingenuæ primum secla fuisse sciant.
Non nostrum illud opus spacium decurrere, frenis
Arctior adductis contineatur equus
Hæc, ut dixi, alijsq́; canent, & Amantius inter
Arguto primos barbiton ungue ciens
Cum positis curis consopitoq́; dolore,
Læta tegent pexas serta recepta comas,
Qui nunc ab mœrens & flens iacet infinitis
Ah miser oppressus sollicitudinibus.
Te Raimonda uocans lacrimis gemituq́; frequente
Non responsurum te Raimonda uocans.
Qui nuper multis heu flebilis occubuisti,
Dextera sæpe quibus larga tulisset opem.
Sed quanquam innumeris hic flebilis occidit, Vni
Præcipue est flendus Bartolomæe tibi.
Et fletur nimis ah fletur, teneat tamen iste
Fletus in hac ingens anxietate modum.
Non certe ille tuis lacrimis gemituq́; resurget,
Te facere hoc etiam mortuus ipse uetat.

Nunc

Nunc tibi finito resonet Lyra carmina luctu
Viuorum ad pulcrum carmina facta decus.
In primis Gilielmeas deducere laudes,
Materia numeris conueniente, uelis.
Ad quem dum nostros extorques tu prece uersus,
Quanto iam dederis rectius ipse tuos?
Sed nostra ad te nunc redeat Gilielme camœna,
In certo ac tandem desinat ire pede.
Scilicet an cum nil esset quod scribere possem,
Atq; aliquid cuperem scribere, scribo nihil.
Viderit hoc noster, cui nunc operamur, amicus
Imperij casum præstet & ille sui.
Ipse quidem quod agam tecum Gilielme quaternis,
Perscriptum inferius uersibus omne leges.
Quo tibi mos cunctis dare te cultoribus artis
Ingenuæ, hoc mihi da te Gilielme modo.
Nos ne non isto digni inueniamur amore,
Efficiam studij sedulitate mei.
Quod superest, quasi pieridum parnaside frondes
Quod decerptæ augent nomina rupe tibi,
Non ideo mea despicias Gilielme, sed ista
Qualiacunq; boni consule scripta. Vale.
Tubingæ CL· Ianu. Anno 1536.

IOACH. CAMER. BARtolomæo Amantio S.

Non

Non tantas tibi ago uestro pro munere grates,
Quas tamen ingentes, sicut oportet ago,
Quanta promissos expecto cupidine uersus,
Pieridos donum Bartolomeæ tuæ.
Non ita totius sudore æstuq; diei
Dum calidas lauguens gurgitor inter aquas,
Aridulæ gelido fauces de fonte requirunt,
Larga uel ampulla flumina fusa graui,
Nec cum qui medicis densus uapor exit ab undis,
Feruentem nudo torret in ore cutem,
Grata ita frigida uis inspirans molliter auræ,
Arctooúe cadens flamen ab axe uenit:
Quàm tua Bartolomæe mihi doctißime cordi
Carmina sunt, claræ carmina mentis opus.
Hæc, nos quo desiderium tibi notius esset,
Et studium Musæ Bartolomæe tuæ,
Fumantes mersi latices dictauimus intra
Pectore debilibus deficiente sonis,
Ergo mala hæc & nō multa, ut prius, accipe scripta,
Quæ proferre mihi difficile ipsa fuit.
At tu redde mihi multa & bona carmina, quorum
Suauibus exultet mens recreata modis.
Sed ne maxima sit tamen hæc ita magna uoluptas,
Aut sequere, aut uersus tu comitare tuos.
In thermis Blasianis Mense Iunio, Anno 1536.

Georgio

GEORGIO SABINO POLLItißimo adolescenti S.

SIc ubi mater abest solus uiridi agnus in herba
Ora requirenti pectore nota gemit,
Sic quondam amissum Minois Thesea siccis
Nondum etiam penitus sentit abesse, genis.
Ipsa Phrygum attonito prospectat lumine classem,
Sidonis Iliada uela parante uiro.
Nec quia conficior frustra absumorq; dolendo,
Fit desiderij mollior ille dolor.
Atq; ita Neccaridas residens heu tristis ad undas,
Te cupida auectum mente Philippe sequor.
Nec uacat in lacrimas animus, nec lumina fletus
De perturbato fundere corde ualent.
Qui mox quàm largis manabit fluctibus amnis?
Aemulus ille tuis limpide Neccar aquis,
Tum dolor in stabili postquam quasi sede quierit,
Certior & sensus cœperit esse mali.
Interea mea damna leui, quo possumus uno
Consolor uersu, care Sabine, modo.
Te generum nostra compellans uoce Philippi,
O Socero tanto digne reperte gener.
Quem modo (quod mirum, cũ non sit amantior alter,
Teq; magis cupidus nemo Sabine mei.)
Tristia delectant aduerso tempore nostra,
Quæ neq; tu dici uera Sabine neges.

Certe magna tibi est nos deseruisse uoluptas
Seq; suis socerum restituisse tuum.
Non facis hoc quòd tu nos oderis, Est tibi facti
Iusta Sabine tui notaq; caussa mihi.
Nos te, si placide ferres, pateremur inique
Longam hac ferre minus posse Sabine moram.
Quodq; oculo tibi desponsam cupiente puellam
Aspiciens, uelles non meminisse patris.
Cuius in aduentum cum gaudia uestra referri
Constet amoriferum leticiæq; diem,
Si cito me, socerum cupias rediisse, relicto,
Debita nulla tuis ira cupidinibus.
Forte tibi cum mox tradetur Epistola nostra,
In thalamos fuerit ducta puella tuos,
Illa mea persæpe manu gestata puella,
Paruulaq; in nostrum sæpe recepta sinum.
O quoties dapibus posito mihi ab orbe petitis
Visa sibi pasci suauius illa fuit?
O quoties blæsa cum mecum luderet infans
Leticiæ nobis Annula uoce fuit.
Quæ nunc æquales inter pulcerrima cunctas,
Alte formosum fert tua sponsa caput.
Vel noua, quod faustum ac fœlix sit, nupta Sabini,
Optima nupta haud cum deteriore uiro.
Ad quodcunq; igitur ueniet mea littera tempus,
Hæc ueniat uoti nuntia fida mei.

Multos nos tibi fœlices optare Sabine
Illustris reditus ad sua signa Dei,
Inq; omnes illo iucundas tempore luces,
Quas tribuas cultis Pieridum studijs.
Inq; omnes illo mellitas tempore noctes,
Curarum in uacuo tristitiæq; toro.
Quæ tibi cum precor atq; uolo contingere, Nuptæ
Hæc eadem cupio cuncta uenire tuæ.
An tibi dulce sine hac, uel si huius gaudia cessent
Esse quid aut fieri posse Sabine putem?
Aut illam credam tecum mutare quod usquam est,
Esseq;, si detur, te sine uelle Deam?
Non uellet. neq; penelopes castißimus ignis
Gaudia Telemachi prætulit ulla patri.
Nec, memor uxoris dux diua ab Atlantide lætus
Nericius læta conditione fuit.
Nunc animis igitur pueri concordibus ambo
Ite agite æterna sub iuga blanda fide.
Pulcra quidem in tota res est concordia uita,
Semper & humanas seruat & auget opes,
Sed generi in primis huic nexus debita sancti,
Quo fit quæ fuerant iam duo, corpus idem.
Nec melius quicquam esse potest optabiliusúe,
Nec fieri in terris uita beata magis,
Vnanimis quàm si teneant bene mentibus apti
Fœdera legitimi fœmina uirq; tori.

Non

Non ratione aliquis magis hostes læserit ulla,
Gaudia non posſit conciliare ſuis.
At fama interea præclaro nomine creſcit,
Præcipuaq; horum laude celebris honor.
Viuite deuincto cum corpore mente beati,
Mutuus æterna quod face tangat amor.
Viuite o dilectæ animæ, ueſtrumq; parentem,
Quo toto hoc nemo eſt carior orbe mihi,
Quamprimum pulcro genito exhilarate nepote,
Et facite hunc ſoboles ueſtra ſalutet auum.
Quem uobis ſit cura uirum colere atq; uereri,
Veſtra ſit huic pietas officioſa uiro.
Recreet à uobis ut conſuetudinis uſus,
Illius in magnis anxia corda malis.
Cuius præſentem cultum fortuna negauit,
In primis iſta parte maligna, mihi.
Hunc tamen abſentem ſemper uenerabor amicum,
Illabefactatam perſoluamq; fidem.
Quod ſupereſt, tu nunc caſtis complexibus Annam
Nomine noſtro etiam iunge Sabine tibi.
Tu quoq; nunc noſtra, blandis comprehende lacertis
Pulcra tuum, cauſſa, ſuauiter Anna uirum,
Et bene cumq; patre & ueſtra cum matre ualete,
O mihi non leuius quàm mea, cara domus.

Tubingæ Menſe Nouembris. Anno 1539.

IOACH. H. EOBANO
Hesso.

HAec Eobane nouem decus immortale sororum,
De tibi Sueuorum littera rure uenit.
Qua tibi quondam inter Ioachimus mitto salutem,
Præcipua primos iunctus amicitia.
Hinc ubi diuersas ternis de uallibus, uno
Pœne loco cunctas Neccar inundat aquas.
Quarum quæ media trepidantes urbe feruntur.
Nomen habent quod habet Doride uoce dies.
Delabi has saxis concluso ubi cernimus alueo,
Aonium Solem tam procul esse, queror.
Quid queror? esse procul minus intolerabile certe est,
Quam credi officij non meminisse sui.
Heu mihi si spacium facit hæc obliuia tantum,
Quodq; decem creuit milibus atq; decem.
Et potuit noster quo Noride cessimus urbe,
Cedere tantillo tempore pulsus amor.
Namq; ego qua de alia tam longa silentia caussa,
Velle tuas Musas Hesse tenere putem?
Non nimium taciti Musas quas nouimus oris,
Quasq; iritauit littera sæpe mea.
Postquam etenim audacis iuga uidimus alta Sueui,
Hessiacæ uisa est litera nulla manus.
At nos per francos per Norica mittimus arua
Nostra parum cordi scripta futura tibi.

Omnia

Omnia ſint igitur nobis aduerſa, premamur
Vndiq; congeſti mole grauante mali:
Si ſubit & noſtri neglectio nominis Heſſo,
Cura nec abſentis iam ſuper ulla mei.
Quem facere ante, quid ab facere hunc uoluiſſe putan-
Me tamen ante alijs pluribus ille tulit. (dum,
Scilicet hæc dico quaſi quodam tempore notus,
Eſſeq; quem, qui ſum, mentio noſtra monet.
Et niſi carta uetus memoraret nomen, ad illud
Parte ſui nulla mens tua reſpiceret.
Ergo ubi diuini laudatio carminis illa?
Per mea quam mortem fama ſubire nequit.
Illa manent ubi magnifici præconia uerſus?
Facta quibus magnis par mea uita Deis.
Hæc & in æternum, noſtrum decus, Heſſe legentur.
Et ſunt uerſi animi probra futura tui.
Probra animi nullo noſtro de crimine uerſi,
Namq; omni culpæ mens mea labe caret.
Non ego forte tuo, fateor, ſum dignus amore,
Dignus eram uiſus quo tamen ante tibi.
Ergo mea ut leuitas fuerit ſpernenda, ſubeſſe
Iudicio pondus debuit Heſſe tuo.
Forte mihi nocitura etiam eſt confeßio ueri,
Noſter eritq; tibi gaudia magna, dolor.
Dißimulare tamen nequeo, quàm pectora grandi
Pieridos flagrent Heßidos igne, mea.

Quæ quoniam mihi iam loquitur nihil, omnia circum
Cunctis quaq; locis muta iacere puto.
Omnia iam feci iam per sum cuncta secutus,
Scripta tibi hinc iterũ misi iterumq; mea,
Nunc etiam quodam quasi tactus corda furore
Hæc insueta malis uersibus apta dedi.
Aut operatæ alia nos Musis nobile nulla,
Aut hac arte manus eliciemus opus.
Quæ siquidem nil proficient, quod abominor, ad te
Hamera erit luctus nostra querela noui.
Tunc ego consistens lapidosæ ad flumina ripæ
Non radios nostri Solis abesse querar,
Sed se illum à nobis totum auertisse dolebo,
Vos nitidæ lacrimas inuoluetis aquæ.
Atq; has uobiscum Neccar mox hauriet una,
Rene tibiq; suo defluus anne feret.
Ante tamen præter cum labens uiderit urbem,
Cuius de montis nomina uoce cadunt,
Mœsticiam prodet nostram maiore Micyllo
Murmure quàm fluitans currere forte solet.
Hic quamcunq; suam tractabit ut assolet artem,
Increpita planget tum mala nostra, Lyra.
Ipse quidem dubiam spem sollicitante timore,
Perpetiar firmo pectore quicquid erit.
Tu ne sit falso mihi spes concepta uideto,
Quodq; mihi incertum nunc facis Hesse, Vale.
Tubingæ Anno Christi Iesu, 1536.

IOACH. CAMERARIVS
Iacobo Micillo S.

Quam legis è medica tibi mitto Micylle salutem,
Qua scaturit tepidis ualle Bacænis, aquis.
Hanc mihi, forte tibi noti persuasit adire
Dira senescentis carnificina mali.
In qua tanta iterum nuper tormenta doloris
Vix sonti infligat qualia lictor, erant.
Quæ perferre diu cum me nō posse putarem,
Sum pridem ostensam deinde secutus opem.
Quid faciam si quæris? adhuc me scito ualere,
Speq́; pati finis tædia multa boni.
Dum totos prope perspicuis demergor in undis,
Et laticosa, sedens attero saxa, dies.
Nec quisquam est qui cum grato sermone loquelas
Consummatrices temporis huius, agam.
Ergo premo tacitus lapidosa sedilia & horas,
Deputo quàm multas præterijsse putem.
Vt quot de præfinito mihi tempore restent,
Quanq; sciam longæ sit medicina moræ.
O placeat modo sancte tibi pater ô uaga giros
Cuius in æternos sidera dextra rotat.
Qui mare terrarum circumdas sedibus imis,
Et medio mundi figis in orbe solum.

Qui misisti hominum generi, miseratus ab alto
Depromtam è proprio corde salutis opem.
Vnigena portante tuo, sanctissime, nato,
Qui statuit uicta morte Trophæa Deus.
O placeat sit ut hæc nostri medicina laboris,
Aut placeat nobis quod tibi cunq; placet.
Non tamen omnino est mihi nulla relicta uoluptas
Hisq́; locis aliquid quo recreamur, inest.
Dum tremulæ spectans argentea flumina limphæ,
Cognita in illustri dignaq́; multa lacu.
Quoq; modo fontes medijs oriantur arenis,
Quoq; loco insurgens murmuret unda, noto.
Deinde metallifera uenarum rupe lapillos
Exiliens si quos deterit unda, lego.
Tum uarias animo caussas dubitante uoluto,
Naturæq́; uagum quæro latentis iter.
Quæ uis possit aquæ duras pertundere petras,
Ipse mouens ortum spiritus unde trahat.
Enascens tepidum qua flumen origine manet,
Quæ ratio subter temperet illud humum.
Iam quoq;, dum calidam quid pandat cogito uenam
Iuxta alius gelidæ riuulus exit, aquæ.
Quæ nos siue quid efficiat reperisse uidemur,
Non sunt parua animo gaudia parta meo.
Seu minus inuenio, tamen admiratio tempus
Vt breue sit quod sit non breue sæpe facit.

Nec

Nec magis obseruata frequens elabitur hora,
Signaq; iam modici temporis æra canunt.
Quin etiam studium memori tum mente retracto
Pieridum, & tenerum molior artis opus.
Atq; hæc de uitreo, commentans carmina, fontis
Extabam nitidi gurgite fauce tenus.
Gratia calliopea tibi, tu nos comitata
In Solis solos non sinis esse locis.
Nec tantum auxilio depulsa molestia cessat,
Sed labor aut non est, aut leuis ipse, tuo.
Quod superest scripta hæc placeãt tibi nostra Micylle
Atq; boni uersus consule quæso malos
Et tua quæ quondam nos est complexa uoluntas,
Perfice ut æterno duret amore, Vale.
In thermis Hercinijs mense Aprili, Anno 1536.

OPTIMO ADOLESCENTI
Chiliano Sinapio S.

Talia sæcla igitur quæ tu Chiliane facundo
Anni commemoras ore futura noui,
Talia sæcla suos iubeat decurrere fusos,
Fatifera torquet quæ Dea fila colu.
Antiquo tua iam recrudescente dolore,
Reddita non firmo scripta fuere mihi.

Quæ simul ut legi, simul ut plenißima uidi,
Omine fœlici salvificaq; prece,
Nescio qua subito sensi mea corda moueri
Et sibi spe faustos conciliare dies.
Gaudia fecerunt certe ne dira uetusti
Sic foret ut fuerat carnificina mali.
Macte animo & uirtute mihi patriæq; tibiq;,
Atq; tuæ gentis forte tuere decus.
Perfacile est rebus non desperare secundis,
Fortiter & placida stante quiete loqui.
Vndiq; sed circum turba instaurante malorum
Sanguine polluta prælia sæua, manu:
Dum trepidant castris, Tuba dũ canit horrida signũ,
Vere, quisquis eris, tum mihi fortis eris.
Ergo ita fortuna bene te confidere tristi,
Et posito claram spem retinere metu,
Præsentis Chiliane animi est. Nam flebilis omni
Nostrum à parte lues impetit ecce caput.
Hinc rabies toto Martis furit impia mundo,
Armaq; per terras undiq; mota sonant.
Illinc tellurem pelagusq; fatigat auarus,
Et petit ignotas quas habet orbis opes.
Interea miseræ extorres spretæq; camœnæ
Flebilibus celebrant tristia fata modis.
Respondent querulam uocem syluæq; lacusq;,
Et gelida è dura quæ scatet undæ petra.

Pennigere

Pennigeræ applaudunt uiridi de fronde uolucres,
Exultant cantu lætificante feræ.
Ipsæ urbes, dictu indignum, fugitant hominesq;
Insueti ætherios participare sonos.
Nec satis, exagitant spoliatas laude, forasq;
Nudatas omni proijciunt decore.
Non sua tam ualde tamen has iniuria tangit
Nec proprio mœrent tantopere exilio:
Terrarum misera quam conditione mouentur
Infinita hominum stultitiaq; dolent.
O miserum mortale genus, canit una sororum
Quæ pulcrum à cœli nomine nomen habet,
Vestra igitur nullo stabit uesania fine?
Scilicet improbitas & caritura modo est?
Quam sinitis præter fœlicia tempora labi,
Quàm plenos quanta prosperitate dies.
Quid uia uirtutis, studij quid semita recti,
Quid iuuat ingenuæ quod patet artis iter?
Cum uix inuenias qui nunc in tramite laudis,
Heu mihi de multis milibus unus eat.
Interea huc abit ille, alius diuertitur istuc.
Quo furor hunc, alium fœda libido trahit.
Deniq; ad interitum qui deferat omnis apertus,
Quæ se tota terant agmina, callis habet.
Sic hominum stultos miseranti uoce labores,
Strata super uiuo cespite, Musa canit.

Ipse chorus modico reliquus circum ordine fusus
 Tristia prosequitur tristibus orsa modis.
Pierio densum resonat nemus undiq; luctu,
 Concutit arboreas tanta querela comas.
De uulgo has hominum quisquam si forte querelas,
 Nescio quis, quisquam si tamen audierit,
Cœlestes surda præter monitus abit aure
 Eq; his quod moueat se nihil esse sinit.
Sed paucosq; bonosq; Deas audire uidemus,
 Pieriamq; sequi non dubitare uiam.
Inter quos Chiliane patent uestigia paucos
 Crebra tua Aonio conspicienda solo.
Qui nihil à stulta uulgi improbitate moueris
 Quin studium addicas artibus omne bonis.
Teq; sinis potius fraternæ tangere laudis
 Quæsita ingenio nomina clara suo.
Nam celebris tibi sunt exempla domestica uitæ,
 Et consanguineos quos imiteris habes.
Atq; utinam illa dies, fratrem nobisq; tibiq;,
 Incolumen Sueuæ quæ bona reddat humo
Linquentem Ausoniæ gratam prædiuitis oram,
 Aurea mox roseis orta uehatur equis.
Atq; hæc tam longo tibi debita tempore tandem,
 Dißimili ueniunt carmina facta stilo.
Quæ partim in calidis dudum exudauimus undis,
 Peruigili partim mens uaga nocte dedit.

Quæ tibi amici scripta boni non esse Poetæ
Grata uelim, & te æquo pectore ferre moram.
Quod superest sicut facis, ô Iuuenis mihi bino,
Et proprio & fratris nomine care tui,
Ne breue rectorum studiorum neglige tempus,
Et tua sit uirtus maxima cura, Vale.
Anno Christi Iesu, 1537.

GVIELMO BIGOTIO
Ioach.

CVm mihi te æternum quodam policerer amicum
Tempore, Bigoti, non me spes illa fefellit,
Sed tamen auspicio est eadem progressa sinistro.
Namq; quod in te esset, tua nobis summa uoluntas
Et præsto studium fuit & condignus utriq;
Cultus amicitiæ. Sed uipera sæua uenenum
Aspuit in cœptis fœlicibus, ore nefando,
Quo te noster amor quoq; nunc absente laborat.
Sanguineo truculenta tibi quid uipera rictu,
Quid tibi pro tanto scelere & furialibus ausis
Imprecer? huc ades ô quodcunq; est carminis usquam,
Vt crepet incantata sacræ sub murmure uocis,
Et medio iaceat tabo spoliata uiarum
Tramite cum uita, pueris mox arida pellis,
Ludibrium, atq; inter clamores syrma futurum.
Eueniet dextro ex oculi magis orbe refulgens

Quod

Quàm solet emicuit iubar. ergo ego nocte silente,
Te iugulaturos paragam mala uipera cantus,
Teq; peremturas uoces tacito eloquar ore. Et
Verba, ueneni uomas quæ fauces interstringant.
Sed quid te sapientem hominem Gilielme *putabo*
Mouisse, *ut potius cuiquam ac tibi credere uelles*
De nobis? Cum præsertim me noscere totum
Et posses & deberes. Illis neq; ut essem
Notus ego, res aut tempus tulerat, neq; ut essem,
Quippe fatebor, erat quæsita occasio Certe
Ille fuit noster tecum sic usus apertus,
Omnia ut in clara sunt Phœbi *luce sereni.*
Nulla uoluntatis caligo, nulla latebra
Sermonum. Ac nocuit forte hæc mihi tanta meorum
Simplicitas morum, nocuit mihi rustica gentis
Natura & manifesta meæ, ob quam scilicet esse
Ponendi in nullo numeroq; locoq; uidemur.
Non ego, quòd clamat me res sanè ipsa tacente,
Sum Laertiades *qui calliditate dolosa,*
Omnibus anteeam mortalibus, ut mea fama
Sparsa per immensi uolet ætheris ardua templa,
Vt canit ipse suas laudes salebrosæ Ithacæ Rex.
Verum idem didici doctos colere atq; uereri,
Obseruare bonos, uti constanter amicis.
Vera loqui, ad nullas linguam conuertere fraudes.
Custodire fidem, pietatem, religionem.

Qua

Quæ tibi nobiscum non sunt obscura, frequenter
Versato. Ergo aliquid potuit me lædere apud te?
Quid mihi confidam posthac quid credere cuiquam
Non dubitem? mutata tuo si corde uoluntas
Nunc aliena ab eo est quem pridem ornare solebat.
Sed neq; mutata esse mihi tua pectora constat,
Nec puto dilectum à præsente quod oderis absens.
Hoc est. lingua profecto bonam tentat mala mentem.
Quam contra ut nautæ quondam ne dulce noceret
Sirenum carmen Cephalenes, obline ceram,
Non hanc flammiuomo quæ Solis ab igne liquescat,
Sed ratio & doctrina tibi quam subijciat, ne
Aduersus temere insontem mendacia amicum
Credulus admittas. Hoc si Gilielme petenti
Concedes mihi, quod dignum sit præstiteris te,
Ac fuerit res hæc animo gratißima nostro.

Tubingæ, Anno Christi Iesu, 1538.

CLARISSIMO VIRO CAROLO ADAMO. IOACH. CAMER. PAB.

NOn tua, nam liceat quæ sentio uera fateri,
 Magna quidem, tanti sunt benefacta mihi,
Me Carole adiutum & quibus ornatum uoluisti,
 Deberem ut meritis omnia summa tuis.

Quanti

Quanti est ille tuus, quo nos complexus amore,
Poene loco ut me sit nemo priore facis.
Et quod me in primis iuuat, huius opinio, caussa est
Pieridum ac artis nomina pulcra bonae.
Nunc libet abiectam fidente requirere corde
Nec spem prorsum animo deseruisse meo,
Huius uicturas in tanta peste camoenas
Temporis, inuenta, quae medeatur, ope.
Nunc licet, ingenuis studijs spondere salutem,
Credere & haec fatum uincere posse suum.
Sed ueniet fortasse alio mea tempore grati
Pectoris interpres littera missa tibi.
Nunc memorem subito quaedam testantia mentem
Paruula dona meo parta labore damus.
Quae Carole accipies, ut primo forte repertae
Vere datum florem purpureum uiolae,
Festinante aliquis quem laetum carpserit ungue,
Non re sed studio gratificante suo.
Haec admitte lubens. Sic aram laurea quondam
Auget Apollo tuam grataq; uirga tibi est.
Post modo successum sors si aspirauerit, & si
Copia prouentus uberioris erit,
Munera plena tibi congesta fruge feremus,
Paupere nec dabimus paucula carpta manu.
Etsi non foecundus ager nostriq; benignum
Ingenij non est fertilitate solum:

Nostra

Nostra malam tamen impigritas, attentio, cura,
Conseret ad fructus spem melioris humum,
Vnde metam mox quæ confidam posse probari,
Aequa mente quidem suscipienda tibi.
Viderit hoc fortuna. At tu Carole hæc mea quæso,
Scripta placere tibi qualiacunq; sinas.
Atq; tuum erga me conserua firmus amorem,
O decus o priscæ nobilitatis honos.
Compositas longo qui maiorum ordine, doctæ
Virtutis ceras uincis imaginibus:
Quanque potes studijs communibus addito laudem,
Et clarij antistes sacra tuere Dei.
Gorgoneiq; à fonte feri & parnaßide lauro,
Pulsa metu fugiat turba profana tui.
Quod facis, ut facias moneo, laudoq; monendo,
Officiumq; mea comprobo uoce tuum.
Hoc olim acclamare modo consueuimus acri
Sæpeq; currenti subdere calcar equo.
Viue ualeq; nouem decus immortale sororũ,
Sint Carole & fati candida fila tui.
Tubingæ, Anno Christi Iesu, 1539.

MAGNIFICO VIRO GEOR-
gio Loxano, Ioach.
Camer. Pab.

HAnc etiam primis Musarum cultor ab annis,
Castalij & liquidæ fontis amator aquæ,
Inclusam numeris mittit Loxane salutem,
Commendatq; simul se studiumq; tibi.
Idem à quo sermone data est uerbisq; solutis
Littera dudum, alijs quàm tibi lecta prius.
Te tamen ut uidisse etiam sperare liceret,
Scripta sua hinc à se fecit ut acciperes.
Addidit & uersus his carmina pauca Latini,
Grata futura tibi sic ratus illa magis.
Cui tua Pieridum nota esset gloria, fama
Inclita, & hoc misero tempore certa fides.
Qui, cum ferme alij studiorum prodere caussam,
Et soleant nudas deseruisse Deas,
Ipse Heliconiadum nomenq; decusq; tueris,
Seculi & has pressas improbitate leuas.
Hæc tua, crede mihi, uel enim tu crede tibi, istum
Quippe tui sensum pectoris esse liquet:
Hæc tua laus igitur maior, Loxane, futura est
Maior & ingenuæ posteritatis honor,
Afferet hoc meliora bonæ præconia famæ,
Altius & uestram tollet in astra domum,
Quàm uel uirtutis memorabile nomen auitæ:
Et celebri antiquum nobilitate genus.
Vel regum fauor, & splendoris culmina summi,
Vel dubia incertæ munera sortis, opes.

An quia non sunt hæc quæ dixi maxima? certe
Maxima, nec nisi qui desipit esse negat.
Parua tamen grandi ceu gemma renidet in auro,
Nescio quo illa magis sunt preciosa modo.
Hoc fortasse putant multi secus esse, sed illi
Non etiam dubitant turpe putare, bonum:
Ac ferri poterant spernentia sæcula Musas,
His nisi & interitum perniciemq; parent.
Heu mihi quæ nostram labefactant tempora uitam,
Quamq; retro celeri spes bona calce fugit.
Gramina sic segetis paßim exorientia læta,
Quæq; racemifera uite propago uiret:
Aut nitidos tenera nascentes arbore ramos,
Impete uentorum concita grando necat.
Non male prodierant pululantes germine pulcro,
Quæ studia humanum initia nomen habent.
Iamq; uidebantur radice uirescere firma,
Crescere & in robur cæperat herba suum,
Cum subito horribilis furor & uis barbara cultum
Vt ferus Aonidum rus populatur aper.
Diffugiunt mox agricolæ, & sibi quisq; salutem
Quærit, habent nullam quæ colat arua manum:
Arua biceps quæ parnassus subiecta tuetur,
Præter & inde fluens pegasis unda rigat.
Hos tu disiectos Loxane recolligis, & spem
Euentus prohibes deposuisse boni.

Teq; ipsis socium in studijs communibus addis,
  Nec sinis exemplo deserere illa tuo.
Macte uoluntatis, uir praestantiß ime, talis
  Et decus hoc laudi iungere perge tuae.
Nec tibi quas nectunt hederas contemne camoenae,
  Cingant ut doctum Musica serta caput.
Aetas aspiciat quae nulla arescere, quae nec
  Conficiat structi flamma suprema rogi.
Nosq; fer, in multis, augere haec floribus illis
  Quos cupida inuentos dextera forte tulit.
Namq; alij casiam & te suaue rubentem Hiacynthe,
  Albaq; purpureis lilia mista rosis
Decerpent, Violas nos & crispantis anethi,
  Aut etiam ad tritam gramina nata uiam.
Qualia nunc auidis manibus congeßimus, inq;
  Misimus angusto fasce ligata tibi.
Condita quae rerum studiosa mente tuarum
  Seu bona seu mala sint consule quaeso boni.
De tamen est scripto si dicendum amplius isto,
  Materia est meritis non aliena tuis.
Qua studium de re nostrum dissertat equestri,
  Atq; aliquam eximiae curam animantis agit:
Qui uetus à longa serie procedis auorum,
  Silesiae celebri nomine gentis eques.
Cuius imaginibus penetralia picta refulgent,
  Stantq; insigniferae scuta super galeae.

Quòd

Quòd si tam bona sint quàm conuenientia scripta,
Iam mea non etiam gloria nulla foret.
Nec tibi doctrinam praeceptaq́; tradere rerum
Notarum ante tibi nos uoluisse, putes.
Sed tibi cum primis cupijsse placere perito,
Stareq́; iudicio nostra reperta tuo.
Sic & Achaemenidis, quorum cura esset in uno,
Nati rite suis ut ueherentur equis,
Talia miserit, aut aliquis fortasse Pericli,
Haec docuit sob olem qui prope sola suam.
Ergo etiam pedibus rectis insistere dorso,
Ferreq́; cursuram sic potuere, feri.
Vtq́; alia adducam, quo sint pomaria cultu
Augenda antiquo scripserit Alcinoo.
Aut opus extructum prisco monstrarit Epeo;
Murigradum crebra qui trabe fecit equum.
Non quoniam illorum perhiberi, credo, Magister
Vellet & ingenij uincere laude sui,
Sed potius censuram operae sibi quaereret, ut te
Censorem nostri quaerimus esse libri.
Quod superest placida haec admittas mente precamur,
Vtq́; iuues artes & tueare bonas,
Vtq́; nouem timidas recrees Loxane sorores,
Inq́; tuis cures me numerare, Vale.
Tubingae Anno Christi Iesu, 540.

IOACH. CAMERARIVS
Iacobo Scheggio S.

AD nos uisere quod Iacobe raro
Et tecum esse soles domi libenter,
Vt uerum fatear, sapis profecto,
Si nec scita bonæ reperta mentis
Vis dimittere, nec uenire in illa
Festinas loca ubi molestiarum
Plus quàm lætitiæ scias futurum
Sed sanè sapere ut tibi sit ipsi
In primis licitum, Iacobe, debes
Nonnunq̃ tamen & uacare amicis,
Atq; officiolo benignus esse.
Nunc te, sponte tua quia usq; cessas,
Si possim prece commouere blanda,
Ad cœnam uenias Iacobe nostram
Per Musas rogo gratiasq́;, & ullum
Si numen facile atq; liberale est,
De toto numero omnium Deorum
Quem tot uersibus & libro frequente
Cæci utrumq; opus explicat Poetæ.
Nos una dabimus tibi uetustam
Re cœnam, appositam ad tabellam ut ipsi.
Porrecti in latus accumbemus unum.
Quod si non fieri oportere dicis,

Tecum sentio, sed necessitate
Quod nollem facere atq; ferre cogor.
Verum quicquid id est eritq;, mecum
Hoc tempus breue ne Iacobe coenæ
In partem accipias malam rogamus.
Quòd si uersibus arbitraris esse
Ad nos te, uelut es, malis uocatum
Quàm nunc sit male cogitato nobis,
Atq; hanc da ueniam, & ueni libenter.

EXIMIE ERVDITO VIRO
Doctori Meliori Volmaro S.

MVsica me quædam hoc exercet tempore cura.
Musica cura mea est, ars est tua Volmare, q̃d nî
Musica cura tuam sibi nunc nostra aduocet artem.
Non pudet, ut quosdam, quædam nescire fateri
Discere nec tædet, neq; ego persoluere nolo,
Vel precio ut par est uel grata mente Minerual.
Reddere quid poßim quæris? si quid dederis tu.
Non quæ forte probes uestris collata, sed illa
Per se non despero tamen tibi posse placere,
Qui quid per se sit laudabile, quid minus, ut de
Aequa perspectum suspendis lance. Sed ad rem
Nunc uenio præ qua nimium sum multa locutus.
Essent conniuæ cum quodam tempore mecum

Atq; unus citharam in potu sibi posceret, alter
Nescio quis, cantans uocali alluderet ore.
Noster forte, quid esse, iocans ibi Amantius inquit,
Dicam? quòd tu (me signans) bonus esse Poeta
Dicere, nec poßis tamen hac testudine carmen
Pangere, nec socius nostris in cantibus esse,
Et, si quis rogitet, nequeas exponere, quid sit
In cantu prauum aut rectum. Sic dixerat ille
Cumq; alij dictum hoc importunum esse putarent,
Non mouit stomachum mihi, namq; id dixerat ille
Res quod erat, soleat quàmuis offendere uerum.
Sed posthac studui cognoscere certius illa,
Quæ mihi propter ego repræhensus iure uidebar,
Cum tandē in nostras quidā haud malus incidit autor
Forte manus, psellum qui se perscriberet, atq; is
Balbutire tamen mihi non est, Volmare, uisus.
Explicat ille etenim, nisi fallor, gnauiter artem
Doctrinæ & caussas declarat Volmare, uestræ.
Sed tanq̄ salebras mea mens quasdam inter adhæret,
Nonnullis ignara locis rationis & usus,
In quibus ut præclara scientia nos tua captos
Expediat, da quæso mihi tempusq; locumq;,
Quo te non tibi sit me conuenisse molestum,
Obstent & nostris tua nulla negocia rebus.
Nec turpem nobis hanc duxeris esse Palæstram.
In similem uenit ludum quoq; Socrates olim,

Musicum

Musicum ut audiret grauiore ætate magistrum.
Ioach.

THOMAE VENATORIO S.

OPtime nostrorum tibi quod conspectus amice
Tam gratus fuit agnosco mentemq; animumq;
Exploratum in amicitia firmum atq; fidelem.
Cum tamen & numeris ueterem testaris amorem,
Hac fit forma etam multo speciosior ille,
Fulgida ceu rutilo quæ gemma includitur auro.
Quid dicam data sunt nostra quæ munera natæ?
Pro quibus omnibus ipse tibi quid reddere poßim
Vt non inuenio, cupio sic reddere, Thoma,
Multa tibi, & memori conseruo debita mente.
Interea quamuis disiungant nos iuga & amnes,
Alliget irruptis concordia pectora nodis
Musarum cultura tamen, pietasq; fidesq;,
Barbariæq; odium, uitij fuga, cura bonorum.
Idq; futurum à me tibi ego promittere possum,
A te nec minus expecto speroq; uicißim.
Quod tamen haud uerbis sed factis præstet uterq;.
Quæ res à ueris falsos distinguit amicos.
Viue uale, puerìq; tui simul, & bona coniunx.
Et si nota tibi magis ac mihi publica res est,
Vt puto, Vangionum de cœtu quid sit, utrum sit

De hoc aliquid, quos ille dies hinc congreget atq; hinc,
Imperij num sit conuentus deinde futurus
Regini ut memorant antiqua ad mœnia Pyrgi.
Copia nam celebris nobis nisi uestra quod affert,
Nocte fugit multa nos & caligine tectum.

Ioach.

AMICO ἀγωνύμῳ IOACH.
Camerarius S.

QVam mea amicitiæ capiant obliuia nostræ
Pectora, & officium fallat omissa fides,
O longo eximio iuncte usu tempore, Cuius
Nomen in hoc uersu ponere nolo, mihi,
Purpureæ citius duris in sentibus uuæ,
Nascenturq; hirtis mellea poma rubis.
Ante hiemes placido gelidæ stringentur ab austro
Nec Boreas rigido fundet ab axe niues.
Quaq; uenit cœli Sol per conuexa supremi,
Ibunt correpta tempora rara die.
Quòd si quæ obstiterint conatibus undiq; nostris,
Non dubitem & caussas exposuisse moræ,
Quidq; opus inceptum iam perturbauerit olim,
Prolixi hæc fiat temporis historia.
Sed quàmuis sero, studijq; operæq; fidelis,
Aequi nunc faciens hæc tamen atq; boni

Accipe

Accipe de ueterum præceptis signa notata,
Quæ sit in hac nati uita futura die,
Quàm tuo ab indicio perscripsimus, & rationis
Principium nostræ fecimus atq; uiæ.
Quæ tu, ut spero leges, studiose facta libenter,
Cumq; aliqua forte hæc utilitate leges.
Nil moror ut prædicta probet res omnia, cum sit
Hæc uia nullius sub pede trita prius.
Et nos in tenebris tanquam palpare profundis,
Quærere & ignotum nocte solemus iter.
Quod cum cura magis doctorum pandet, & ipse
Cognitione mea forte secutus ero,
Vaticinæ tum obscura minus prædictio cartæ
Et sors iudicij est certa futura magis.
Nam qnod ad hanc quã nũc facimus nos attinet artem,
Hæc animo constant indubitata meo:
Stellifero fati quas fixit in æthere leges,
Dicit & in terris quæ sua Iura, Deus,
Nosse quod & iubeat. Nam cur quæ prodidit ipse,
Incompræhensa hominum cognitione uelit.
Sunt tamen ipsius super omnia sidera uires,
Naturamq; sua continet ipse manu,
Quem sibi deuinxit si quis pietate fideq;,
Astra super Domini fit comes ille sui.

IOACHIM. CAMERARIVS,
Iohanni Hospiniano S.

Cui

CVi deriuatum formam dedit hospes ad illam
Quasibi quondam alius fecit de cuspide nomen,
Quiq; fores primum si nunc mihi forte uocandus,
Hospitianus eras: scriptam tibi mitto salutem.
Hinc Ioachimus, ubi calidis medicamen ab undis
Vndiq; terrarum petitur mortalibus, omnis
Ordinis, ætatis, sexus. Pueri atq; puellæ,
Quoq; senes & anus ueniunt, ubi rusticus atq;
Nobilis immergit sua membra salutis egena,
Et mento tenus illustris de gurgite limphæ
Extat, arenosis incumbens sedibus, inter
Multiplices uenas rimosa in rupe patentes,
De quibus erumpens tepidæ restagnat aquæ uis.
In quas forte malum notum tibi, me quoq; misit
Intolerabilibus nuper cruciatibus actum
Sperantem auxilium inter sperantes tot & ipsum.
Hic ego dum prima solus de luce madesco,
Multa animo uersans, sicut fit, quæq; peregi
Non facienda domi aut facienda infecta reliqui,
Hæc inter neglecta subit responsio mentem
Ad mihi transmissos quodam à te tempore uersus.
Debita iam nono nec adhuc, puto, mense soluta.
Quòd si tam facile æs alienum soluere possem,
Quam facile est tales nobis componere uersus,
Quales nunc factos sine numine mitto Thaliæ,
Scilicet expensi iampridem haud debitor ullus

In tabulis nostrum perscriptum nomen haberet.
At tamen officium facere est pro parte uirili
Rectum quemq; suum. Dis ipsis sacra docebat
Sic etiam facienda Heliconidos incola uallis,
Ille quidem pastor quondam sed munere factus
Formosæ uates mox munere Mnemosynines.
Nec mihi, cum multi faciant operæ atq; laborum
Versibus edendis precium memorabile, duco
Turpe, leui uiles scripturæ impendere cartas.
Seu cupio hanc alijs animi perferre fideli
Sensa ministerio nostri, seu fallere tempus
Grata quæro mora, quod nunc conamur utrumq;.
Quòd si nemo nisi pecudum qui sanguine centum
Humectare Deum cæsarum altaria possit,
Audeat esse sacris augusta operatus in æde,
Cœlicolum raro nasi tangantur odore
Exticremis ueniat qui de carbonibus. At iam
Agno uno aut capra, quin & iam ture litatur.
Sed redeo ad tua missa mihi gratissima quondam
Carmina, quæ studiumq; tuum ingeniumq; probarũt.
Ergo ego currentem quanquam incito te tamẽ hortor,
Quodq; licet spretas misero hoc ut tempore diuas
Sectere & tueare rogo, nec sic tibi quicquam
Præclarum uita ac magnum uideatur in ista,
Qua uarius furor & regnat uesania, Nec te
Aut lucri aut falsi species peruertat honoris,

Vt tibi Parnaßi colles & castalis unda
Sordeat. hæc, fateor, non ornant commoda uulgi
Vana nec attollit populari gloria uento,
Sed cœlestis in his uera oblectatio mentis,
Sed uirtutis inest decus, & constantia sanctæ.
Deniq; quicquid in humanis laudabile rebus
(Vnde suo humanū studium hoc quoq; nomine fertur,
Hoc urgebis & hæc uenerabere numina semper,
Quod facis. Hic quid agam, quæ lux opis eniteat. Si
Forte rogas. Nunc sane etiam me scito ualere,
Hasq; salutiferas undas sperare futuras.
Spes formosa Dea est, eadem est lentißima. Quam ne
Per terras uaga ferretur, sed semper adesset
Humanis infixa animis, oppreßit in imo
Vasis morbiferi fundo uecors Epimetheus.
Spes alit extorres. Pendentem etiam in cruce uix spes
Deserit. Hæc eadem solatur nos quoq;, sed sic
Nostra Deo in solo ut spes hæreat, utq; mihi omnem
Ex ipso euentum prorsus credam esse, nihilq;
Vtilius meliusue ac quod uelit ipse futurum.
Quod superest nostris dices uerbis Iacobo,
Si tamen est etiam nunc uobiscum ille, salutem.
Concordiq; animo studijs communibus ambo
Et uirtuti operam nostram nauabitis omnem.
Hæc tibi per uitrei meditati flumina fontis
Postmodo non accurato calamo perarata
Misimus. In meliorem hæc partem pone. Valeq;.

CASPARI VOLANDO IVRISC.
compatri S. Ioach.

DVm mecum instabilis reputo discrimina uitæ,
Et uarios hominum casus, incertaq; fati
Tempora, dum dubios euentus consiliorum,
Quæ bene cæpta diuq; animo uersata fuere,
Tunc ego, compater, interdum sic cogito, uero
Antiquum, quicunq; est autor, uincere uerbum,
Non nasci bonitate homini primum esse, secundum,
Quòd perhibet, celeri, si lucem morte relinquat.
Cum uero & quondam nobis iuuenilibus annis
Qui sæpe obiectus fuerit dementibus error,
Quiq; agitet non sana etiam num corda frequenter,
Intra se reminiscendo mens conscia uersat,
Tum uixisse dolet, tum me piget & pudet æui.
Ergo precor mortem. Nunc ergo occumbere uellem?
Non puto. namq; uelut mea coti illisa resultat
Oblata facie exitij interitusq; uoluntas.
Vt quem prisca refert pressum sub fasce maligno,
Fabula uoce senem lacrimante orasse supremam
Mortis opem. uenit illa ecquidq; uelit rogat, iste
Territus ut sibi onus petit attollendo leuaret.
Ergo ut ab Astræis mare fratribus exagitatum,
Sic animi uitæ nostri iactantur in undis.
Quis portus tamen, an portus proponitur ullus?

In dominum curas cœli terraéq; reponi
Iesaidæ suadent cœlestia carmina uatis.
Cuius natus & ipse, eadem clarißima proles.
Nos monet, ut partis dapibus, uescamur, & intra
Legitimos hilares carpamus gaudia lectos,
Quippe placere Deo studiumq; operamq; fidelem.
Quorsum hæc tandem, inquis, quidue ista petita sibi
Mentio tam longe? Volui carißime tecum, (uult
Compater, intima sensa meæ communia mentis,
(Quæ te sperarem facturum æquiq; boniq;)
Nunc facere, & releuare simul mea pectora curis
In cartam eiectis ad fidum prorsus amicum.
Sed quia iam meliore refulgens lumine phæbus,
Festiferum retulit tempus lætabilis ocij,
Hæc melius coram mox disseruisse licebit.
Et tu care, mihi, si uis, pater addite, mecum
Non cænare male, hunc uenies quàm quinq; repulsa
Aera sonent prius, atq; feres satiabile tecum
Pectus, & appositas epulas potumq; uelit quod
Consuluisse boni. Medicus Leonartus ibidem
Alter & ille aderit quem uos dimittere dicunt
Cum retinere foret melius fortasse. Sed aio
Fortasse, hac falli quia possum compater in re.
Optime nil rerum, scio compater utile quid sit
Quidue secus. Quin nota etiam iam nescio, id unum
Scimus adhuc tamen, & posthac quoq; scire uolemus

Fidum

Fidum animum præstare quibusq; in rebus, amicis.
Ioach.

CASPARI VOLANDO COMpatri S. Ioach.

NOte mihi longo cariß. compater usu
Dulcis amicitiæ, & fidei spectamine raræ,
Istic rixarum dum tu fora plena frequentas,
Legitimæ exæquans lites examine normæ,
Nos hic Herciniæ laticosa ualle sedemus
Et morbi in tepidis medicamina quærimus undis.
Scire cupis quid opis sit adhuc mihi forte repertum?
Re modicum sed me spes consolatur, & audet
Tristibus euentum multis promittere lætum
Quid faciam? inuisas fugerent cum numina terras
Et mala cum totum uolitarent sparsa per orbem
Vna doloriferi labris hæc uasis inhæsit.
Hanc sequor, hanc teneo, hanc elabi nō sino, nec quod
Me sæpe est frustrata, ideo illam auersor & odi
Et tamen euentus me iam minus ac minus angit,
Decurso ætatis spatio maiore, uidentem
Quæ sit uita hominum, subeant quæ tempora, quæ res,
Quod uulgi studium, quæ regum pectora curæ
Sollicitent. Laudi ac uirtuti quis locus? aut quis
Iam lucro decus, utilibus præponit honestas?
Ipsos in mores uitia inuascere nefanda.
Turpe putat nemo fraudare ac fallere fretum,

Pollicitis, uerum simulare. Deumq́; hominesq́;
Spernere, quid gestus dicam ornatusq́; pudendos?
Quid rabiem uetitam ludorum legibus olim,
Deformes memorem quid ab ebrietate furores?
His rebus grandes passim magniq́; tenentur,
Has teneri discunt paruiq́; imitantur. Ego ne
Quod faciunt reges populum uitare iubebo?
Non exempla sequi debere domestica natos?
Nil disciplinæ est reliquum, confusa profanis
Sunt sacra, barbaries & uis dominatur iniqua
Interijt cultus uitæ, temere omnia fiunt
Vt quondam unocula cyclopum in gente. Sed huius
Vnus tam miseræ cladis, si quærimus est fons,
Vna & origo mali reperitur prisca recentis,
De qua flumina non cessant manare laborum,
Relligio peruersa nocente superstitione,
Diuiniq́; alijs adiuncti rebus honores,
Ambitioq́; leuis regnandi & dira libido
In cætu tibi Christe sacro. heu mihi qualia monstra
Quanta aluit portenta tuo quæsita cruore
Pars hominum, quòd seruitium quæ uincula sensit
Sancta Dei natio, gens hæres regia cœli,
Quæ nuper patefacta graues peperere tumultus,
Et laqueis falsæ iam libera relligionis
Corda exultarunt nimium gauisa, bonamq́;
Corruperunt nonnullo peccamine caussam.
Quis tamen hæc inter, posito certamine, uel Rex

Vel Præsul, Princepsúe pericula maxima cernens
Impendere tuo de nomine Christe uocato
Communi populo, studuit depellere pestem?
Nunc fœda est laceris miseranda Ecclesia membris
Deq́; sua cernas pugnare cupidine, deq́;
Viribus augendis quacunq; tyrannidos arte,
Atq; suis huius factis prætexere curam
Omnes quiq; sacri perhibentur quiq; profani.
Nos consolari tamen hoc debetq́; potestq́;
Quòd nube errorum pulsa falsisq; retectis
In ueri claro uersantur lumine mentes,
Nam doctrina quidem nobis integra sacrorum
Contigit, & ueterum peccata grauissima damnat.
Quiq́; Deo placeant cultus ostendit & omnes
Conatus se fretorum conuellit inanes.
Quid sit non dubium est uerum. Quid iam petat ille
Quid fugiat, quid agat rerum hic, quid non agat iste
Cur ego in hac recti & ueri iam luce laborem?
Sed miserum est nostrum plenisq́; laboribus æuum
Nec quod te iuuet inuenias. nam ferrea certe hæc
Tempora sunt ferro uel si qua nocentior est res.
Non ego communis tolerando incommoda sortis
Aequa mente feram compensans tristia lætis?
An malim in placida quondam uixisse quiete?
Socraticoq́; uelut prisco iacuisse sub antro,
Pro rebus quædam rerum simulacra secutus?
Non ita. nam uero nihil est optabilius, nil.

Quod præferre uelit non sanæ mentis egenus
Tu quoq; Christe tuos uoluisti degere talem
In terris uitam cupidos excedere, ne quid
Quod remoraretur tendentes afforet ad te.
Nunc igitur fidens animis fultusq́; bona spe
Nil infelicem metuo hanc amittere lucem
Nec me terribilis nigris & dira tenebris
Mors terret, pallens seui formidine ditis.
Et tamen est multis factis polluta nefandis
Multis flagitijs temerata est uita, recordor
Heu quot præsentis, quot & heu delicta prioris
Temporis. O maculas fœdas iuenilibus annis
Aspersas. O matura peccata peracta
Atq; ætate graui, pariunt sane illa dolorem
Non tamen & captam me spem deponere cogunt.
Gratia Christe tibi, tu nostro robora cordi
Attribuis, tantumq́; iubes tibi fidere. Tu me
Non ideo quia criminibus uitijsq́; tenemur
Innumeris, pateris cor despondere, docesq́;
A patre sperandam per te solum esse salutem,
Cuius late obeat totas miseratio terras
Et Pelagus transcendat & æthera compleat altum.
Hac & ego pressis animis super ipse quiesco.
Semper enim fuit incertis diuersa uoluntas
Consilijs, uarioq́; uagans sententia serpsit
Proposito humanis in mentibus, hic modo pulcra
Visa sibi, culpauit, hic ante repræhensa probauit.

Hec

Hæc alij placuit uia, at hæc alij omnia deorsum
Quippe hoc mortali ac sursum iactantur in orbe,
Et rapido cursu ceu qui præterfluit amnis
Instabili in mundo subito reuoluta feruntur,
Nil firmum ac fixum est rerum. Tua sola Deus uox
Cuncta regens cunctis tribuens uitam atq; salutem
Immutabilibus conseruatur rata uerbis.
Hac freti sumus hac confidimus, hæc tibi mecum
Conueniunt si dilectißime compater, aude
Vti ijsdem. Si dissentis meliora doceto
Atq; boni fac quæso malos per balnea uersus.
Compositos medicis madidi dum namus in undis
Nec præsumtum animo tempus discedimus ante.

Tubingæ Anno 1539.

D. MELIORI VOLMARIO S. D. Ioach.

Volmare pieridum et clariæ pars magna cateruæ,
Ad te, quæ mandata habeã quæso accipe, sed me
Prænarrare etiam quiddam patiare libenter.
A nostræ nuper dum consuetudine uitæ
Torpentem studeo paulum deducere mentem,
Languida & assumto membra exercere labore:
Harderum inuiso, quo non uir fortior alter
Nec melior, fidei nec conseruantior, & quod
Nunc rarum est, animi niueo candore renidens,

Dicere quiq; ausit uerbis, quod pectore sentit,
Quodq; minus sentit simulatum dicere nolit.
Sed tibi quid memorem? quæ sunt notißima. ad illum
Perspectum nobis animi constantis amicum,
Compatris excurro sociusq; comesq; Volandi,
Stiggelus accedit nactus sudore caballum
Vix multo tandem, magna expectatio læti
Quo recreemur habet nos inter temporis illam
Quam sermone uiam terimus cursuq; uagante,
Sicut fit curis dum libera corda remißis,
Nil quod agant meditantur, eunt huc rursus & illuc
Allucinabundi portantes tarda caballi
Corpora, & impreßi subsultans pondus ephippij
Ambulat & uaria in uarijs oratio rebus.
Iamq; tuas Hereburga procul uix contuor arces,
Deq; sinu promtis oculis contemplor, ibiq;
Quàm sit adhuc lento uia facta intelligo gressu.
Ergo hortor comites properent, properantibus illis
Cantharius sonipes offendit compatris, ut per
Crebra uiam salebra extabat. ridemus, & horam
Oppida uix umbra decimam signante, subimus.
Hic caupo triplici uino nos excipit, utq;
Gustabamus & hoc atq; illud rursus, & istud,
Extremus sapor aut erat, aut referebat acetum.
Hinc cito fert animus discedere. uenimus ergo
Hortorum quo uilla loco tua nomine dicta
Visitur antiquæ specimen uirtutis, & huius

Hardere

Harderc ætatis decus. O quàm suscipit ille
Nos cupide hospitio? quanto coniungere dextram
Festinat studio? ad prima ostia prosilit ipse
Et famulos curare iubet iumenta. Venite
Vos, ait, ô carissima turba. It præ, sequimur nos.
Quàm bene tractarit nos si fortasse requiris,
Singula posse modis, me scito exponere nullis,
Non mihi si linguæ centum sint oraq; centum,
Omnia sed dicam simul. Haud melius fuit usquam.
Hic ille, heus ubi uos, inquit, liquisse uoracem
Doctoremq; meum dicam mensæq; magistrum
Volmarium, medicumq; Lupum? Tibi nunc Ioachime
Ille igitur labor esto, ambos adducere tecum,
Tuq; Volande & tu facito istum Stiggele cœtum
Concelebretis. Io iuuat omnes ponere curas,
Cumq; bonis bene, dum Deus hoc permittit, amicis
Viuere. Quid nam aliud sit uiuere? Sic erit, inquam,
Atq; operam dabimus curentur ut omnia recte.
Sed quàm mox præsto esse iubes? post quattuor, inqt
Ille, dies. nequit hoc fieri, inquam. ergo adijcit octo.
Iamq; dies cœlo decesserat, almaq; curru
Noctiuago phœbe medium pulsabat Olympum,
Harderus, neq; enim uina inter dulcia & inter
Iucundus sopor est garritus cordi, age prome
Si quid adest potus quo fiat gratior, inquit.
Inferriq; iubet raphanos. ego primus in illos
Inijcioq; manus & crebros deuoro, nec quàm

Sedula tunc auide multos demiserit aluo
Dextra nimis, facile est numerabile, dumq; iocantes
Potantesq; simul, plaudentes & tibi Clausse
Arcu uictori, paruae tua praemia uestis
Efferimus uerbis, tandem nox humida coelo
Praecipitans suadent & plurima pocula somnum.
Heu mihi quam totis nihil est durabile terris
Quod iuuet, heu quàm non est unquã longa uoluptas.
Ecce sopor placidus iam sole abscesserat orto,
Erigo me sperans stulta noua gaudia mente,
Cum stringi pectus, corq; inturgescere, & ipsa
Linquere me magno coepit mens aegra dolore.
In lectum uix me refero. Tunc omnia luctu
Omnia tristitia plena & taciturna uideres.
Hic ego, quanta illis nostrae esset cura salutis,
Perspexi. Deus, ut grates gaudentibus opto,
Successum aspiret dignas dependere posim,
Non opis est etenim nostrae, & praeclara uoluntas,
Viribus inferior. Sed quid te demoror? aut cur
Sollicitis onero te mecum Volmare uerbis?
Quin data nunc potius perago mandata, paroq;
Me ipse ad iter? Quare dictam, quae tertia mensis
Sextilis nonas anteit cognoscito, nobis
Volmare docte diem, quem tu medicusq; uoletis.
Sic studiose ut nos cupide ille expectat obire.
Non dubito facietis, & hoc quod tantopere illum,
Et nostros uersus uelle atq; rogare uidetis.

Sin

Sin detrectaritis, at acri carmen iambo
Non magis Aufidio deductum à flumine curret,
Plura his adijcerem, nisi carta hic deficeret me.
Tubingæ V. Cal. VIL. Anno 1542.

IOANNES STIGELIVS IOACHImo Camerario Neapoli ocium cum Musis agenti, amico cariß. S. D.

DOmo abfui hoc octiduum. Reuerso uero redditum mihi fuit scriptum de Eobano tuum, quod perlegi auidißime. Ac mirum est quantopere me delectarit, non modo historia illorum temporum, sed etiam genus dicendi tuum, purum ac elegans, & ad res quas exprimit, accommodatißimum. Sed quia idem mihi accidit, quod sitientibus solet, qui festinabundi primo impetu, oblata frigida ingurgitantes sese, uelut abutuntur, mox cum paulatim degustant, maiorem uoluptatem ex sensu saporis capiunt. Sic ego non remittam hoc scriptum priusquam eius iucundißima lectione sim cum intimæ delectationis sensu ita exatiatus, ut alijs quoq; inde commemorare, quæ meminerim, poßim. Quod cupis à me adijci, si quid mihi de illis temporibus cognitum sit, plane tu quidem ex lapide argentum. Quid enim sciam ego? qui admodum adolescens in notitiam Eobani iam senis perueni. Mutiani nomen celebre iam puer sum admiratus unice, de quo quidem audiui

permulta, cognitu atq; imitatione digna, quæ successu temporis publica perturbatio mihi exemit è memoria, aut ita peruertit, ut res quidem aliquas commemorare posim, ordinem tamen & modum amiserim. Memini me puerum Epitaphio complexum fuisse eius laudem, id subscripsi, ut legeres, meumq; desiderium, quale iam tum fuerit, istorum hominum, quos audiebam Poetas salutari, agnosceres.

HAc tumulatus humo, Rufus post fata quiesco,
Ardua qui clarum nomen ad astra tuli
Prima mihi teneræ dedit incunabula uitæ
Hessia, fertilibus terra recincta iugis
Cum mihi adhuc uiridi uernaret flore iuuentus,
Nec tegeret flauas hispida barba genas,
Ingenuas colui Musis ducentibus artes,
Deditus & studijs nocte dieq; fui.
Hinc didici rerum uarias cognoscere causas,
Quasq; parit miras terra fretumq; uices.
Interdum uersus, & blanda poëmata finxi,
Qualia Virgilium nemo probasse neget.
Cumq; mihi uires prouectior adderet ætas,
Cura mihi leges noscere Iuris erat.
Sed mihi cum Musis & caris uiuere amicis,
Plus placuit trepida quàm fora lite sequi,
Omnia nam quoniam stulte transire uidebam,
Non sitij tituli nomina magna mei.

Aulas præcipue fugi, quia fulmen ab Aulis,
Et fortuna pijs sæpe sinistra, uenit.
Aurea me blandi fouit clementia cœli,
Qua iacet uberibus Gotha beata iugis.
Hic ego traduxi tranquillæ tempora pacis,
Hic mihi pax uere uita beata fuit,
Inuida me donec caro mors abstulit æuo
Et mea sub uiridi condidit ossa solo.
Quàm bene nunc recubo florentibus obsitus herbis.
Hoc mihi perpetui nominis omen erit.

ET quoniam hæc scribo stans in procinctu ad signum horæ datum recta iturus ad auditorium meum, finem Epistolæ faciam. Scribam uero proxime copiosius, & mittam carmen de Spiritu sancto. Optime uale in æternum. Ienæ 19. Septem. Anno LI.

Esromum saluto amanter & officiose.

IOACH. CAMER. PHILIPPO Bechio opt. artium Magistro, amico S.


EN tibi tandem operas scripturæ tuæ expreßione perfectas, id quod & tu quidem sæpe fieri optauisti, & ego non nolui, fortuna autem hactenus multiplice & uaria aduersatione quasi ex composito editionem hanc impediuit. Et nisi nuper ego, & Ioachimus meus

discedentes Lipsia (facta, ut scis, potestate Magistris scholasticis, ut abesse istinc aliquantisper liceret) forte simul has cartas abstulissemus, quis scit quando, uel an unquam euenisset, ut hic libellus in publicum prodiret. Nunc enim mihi hic residenti, et ocij tantū, & ea occasio fuit, ut studium editioni huic, id quod admodum cupiebā, impendere tandē concederetur. Etsi enim tua descriptione pleraq; omnia satis luculente erant exarata, tamen & nostrorum quædam scriptorum, & Eobanicarum epistolarum ad alios, quas postea nacti fuimus, explicatio atq; distinctio, nostram recognitionem desiderabat. Quæ nisi opportunitas tanta & temporis & elaborationis fuisset oblata, haud scio an nunquam huic editioni opera à me fuisset impensa. De qua etsi me non fugit, quin alij aliorum sermones sint futuri, Non dubito tamen bonos & bonarum artium amantes ex lectione huius libelli uoluptatē esse percepturos singularem, & aliquos fructum quoq;, ut ne eos quidem defuturos esse confidam, à quibus gratiæ agantur nobis, quorum diligentia ac aßiduitate effectum fuerit, ut in publicum ista prodirent. Mihi certe iucundiß. est memoria temporum illorum, quorum in his scriptis mentio fit, quam hoc pacto renouari sentio, cum suauiß. rerum memorabilium, & uirorum uirtute & pietate atq; doctrina præstantium, & in literis actæ uitæ & dulciß. societatis quasi negotiorum Musicorum. Itaq; lætor istas cartas, inter tot meas migrationes, &

harum

harum tam uariam & interdum dubiam fortunam, esse conseruatas, alijs amißis, quæ forte à plerisq; multo fierent atq; æstimarentur carius. Quanquam autẽ nunc quoq; inter cartas nostras iacere non pauca crederem, quibus hæc editio cum augeri tum ornari posset, nõ duxi tamen negligendam hanc commoditatem, diuulgandi ea quæ penes me modo essent, & quorum ego elaborationem mea præsentia adiuuare possem. Mitto autem tibi hunc libellum, mi Philippe, non tam ut legendis his te oblectes, quàm ut scias defendendi huius facti tibi etiã onus esse impositum, qui ad hoc mihi hortator & instigator fueris, ut, quicquid à me sit actum, id tibi quoq; præstãdum esse nõ ignores. Sed facilis, ut opinor, causa erit ad bonos. Malos neq; ego moror, neq; tu cures censeo. Quid tamẽ deinceps ad augendũ huiusmodi mercib. tabernulas librarias, animi nobis esse debeat, de euentu huius editionis poterimus decernere. Si enim hæc nõ malã in partẽ accipi intellexerimus, erimus ad alia promenda alacriores, adq; illa etiam cum componenda tum disponenda, tua, ut spero, opera utemur. Vbi esses hoc tempore nesciebamus. Quod Lipsiam tamen te redijsse arbitraremur, mandata dare cogitabamus illic ut libellus iste tibi traderetur. Vale. Norimbergæ Calend. Februarij.

FINIS.



ERRATA EXPRESSIONIS, SIC

emendabuntur. A iiij. *dorso, uersu* 15. *lege exprobret,* A 5. *u.* 4. *l. autogra.* A 6. *u.* 14. *l. fastis.* D. *u.* 11. *l. temporis hac instit.* B 6. *d. u. à fine* 4. *l. elegantißimis ep.* B. 7. *d. u.* 3. *l. consens.* B *ultimo d. l. singularis* Eob. C. 6. *d. u.* 2. *l. autem ob.* C. *ultimo d. u.* 12. *l. sacros.* D. *u.* 1. *l. amans* Eob. *& mox, posset fac.* Et *u.* 5. *produceret* D ij. *d. u. ultimo l. incommodo.* D iiij. *u.* 3. *l. quiesce.* E. 7. *u.* 5. *à fine l. sacrar.* Do. *inducantur. u.* 1. *repetita uerba.* F iiij. *d. u. à fine* 2 *l. prem.* F 7. *u. à fine* 9. *l.* Lucife. F *ultimo d. u.* 2. *l. uix unq.* G. *u.* 3. *l. misc.* G. iiij. *d. u. à fine* 5. *l. flabel.* G. 7. *u.* 1. *l. pergræcando. u. à f.* 3. *nolu.* Do. *u. à f.* 2. *l. familiari* H. ij. *u. à f.* 3. εἶναι, *& ultimo* τεράτ. Do. *u.* 15. *l. pacif.* H. iiij. *u.* 9. *&* 10. *l.* αἰνίγματα *& gene.* H. 5. *d. u.* 14. *l. proficisci.* H. 6. *u. à f.* 10. *l. erudito* Do. *u.* 6. *l.* τῷ. H. 7. *u.* 10. *l. Siculas* I. 7 *u.* 5. *l. lutul.* K. *d. u.* 10. *l. iuuc. & u.* 15. *l. Vale,* K. ij. *d. u. à f.* 5. *l. partem* K. iiij. *u.* 14. *l. legalis, d. u.* 9. *l. ut ex animo me* L. ij. *u.* 8. *l. doctis,* L. iij. *d. u.* 6. *l. quoniam* L. 5. *d. u.* 14. *l. est mihi om.* L. 6 *u.* 16. *l. silicern.* L. 7. *u.* 3. *l. longius, d. u.* 12. *l. uid.* L. *ultimo u. à f.* 2. *l. possumus* M. *u.* 6. *l. minime uelim,* M. iij. *u.* 3. *l.* ἀσωδὲς. M. 6 *u. à f.* 11. *l. prec. & u.* 9. *l. Si rar.* N. ij. *d. u. à f.* 7. *l. illum* N. iiij. *u. à f.* 7. *l.* β. ι'λ. N. 6. *d. u.* 8. *l. cœnæ pa.* N. 7. *d. u.* 14. *l. mortem,* O. *u.* 1. *l. prandeas,* O ij. *d. u. à f.* 3. *inducatur, nisi.* O. iiij. *u. à f.* 5. *l. reddidero.* O. 6. *d. u.*

d. u. à f. ij. l. spira O 7. *u. à f.* 3. *l. ueni* O *ultimo u.* 7. *l. affixi. do. u. à f.* 9. *l. liberalem hab.* P. 1. *d, u. à f.* 11. *l. uidebor, &* 7. *l. summæ toti.* P. 7. *d. u.* 5. *l. talis er. & u.* 6. *l. ferebat,* Q. *ij. l. uestra,* Q. *iij. u. à f.* 11. *l. redderet* Q. *iiij. d. l. fidelißime.* Q. 5. *d. u.* 10. *l. olim no. & u. à f.* 6. *l. audaciæ ac.* Q. 6. *d. u.* 5. *l.* ἀξιωσιν. R. *d. u. ultimo l. mei am.* R. *ij. d. u.* 1. *l. quasi of.* R. *iiij. u.* 6. *l. solutis, & u.* 11. *l. beneuolis.* R. 5. *u. à f.* 8. *l. feres en.* R. 6. *u.* 4. *l. & inpr. &* 8. *policeam.* R. *ultimo u.* 5. *l. cum tec.* S. *ij. d. u.* 3. *l. negarim & u. à f.* 6. *l. tecta pu.* S. 5. *u. à f.* 5. *l. excusas,* T. *d. u. à f.* 9. *l. quid illic par.* T. *iij. u.* 13. *l. quem & ob.* T. *iiij. d. u.* 4. *l. quot fue.* T. 6. *d. u. à f.* 6. *l. coniunct.* V. 5. *d. u. à f.* 4. *l. police.* X. *u.* 10. *l. Arcte com.* X. *iiij. u.* 15. *l. cunctisne fe.* X. 6. *d. u.* 11. *fluctibus il. &* 13. *constitimus* X. 7. *d. u.* 13. *l. neq; notum,* X. *ultimo u.* 12. *l. Idib.* Do. *u.* 1. *l. In summa tamen & u.* 2 *l. captæ rat. & u.* 9. *l. acumin.* Y. *d. u.* 8. *à f. l. rigid.* Y. 7. *u.* 11. *l. alijsq;.* Y. *ultimo u.* 14. *l. clariæ.* Z. *iij. u.* 4. *l. ulla mei.* a. *iij. d. u.* 2. *à f. l. accube,* a 5. *u.* 10. *l. nostræ.* a 7. *u. à f.* 4. *l. uestram.*







